



DOMINI HILDEPHONSI EPIS-
COLICITANI DE LAVDIBVS
VIRG. MARIAE.



~~IV F~~ XII E



†
IHS

BIBLIOTECA DE LOYOLA.

Sala 1
Estante 7
Plúteo H

38,3



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF DEUSTO
BIBLIOTECA

DEUSTO
1914

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF DEUSTO
BIBLIOTECA

DEUSTO
1914



274-29

DIVI HILDEPHONSI
TOLETANAE ECCLESIAE
EPISCOPI, VIRI IN
DIVINIS LITERIS
ERVDITISSIMI,

DE LAVDIBVS VIRGINIS MARIAE,
DEQVE ILLIVS VIRGINITATE
Aduersus hebræos liber, qui nunc
primum in lucem
prodit.

ADIECTA EST EIVS VITA
SIMVLQVE PRAEFATIO, QVA
*pia admodum illius confessio
exprimitur.*

VIXIT SVB RECENSIVDO GOTTHO
HISPANIAE REGE.



BASILEAE MDLVII



LAVRENTIO

MASSULO PATRICIO

Veneto, ac Monacho Cassinati

Basilii Millanii

Casinas. S. P. D.



SEPE ego miratus sum
LAVRENTI, tuam
istam cum animi constan-
tiam, tum ingentem huma-
narum rerum contemptio-
nem. Nam te genere di-
uitij, q; florentem, patria orbis terræ cla-
rissima, cum primum per ætatem capeffe-
re Remp. licuit, nescio Fato ne iniquo, an
diuino potius consilio pulsum in exilium,
non animo aliquando commoueri, id uero
hominum fidem excedit. Cum uero ani-
maduerterem te, non philosophiæ solum
ope, cuius præceptis egregie imbutus es,
sed sanctissimis Euangelicæ atq; cœlestis
doctrinæ, cui te totum tradidisti, institu-



is hoc facere, mirari aliquando desij, quod
scirem istius proprium esse, ut candidatos
suos in rebus prosperis modestiam ac humi-
litem, in aduersis animi æquitatem ac
patientiam doceat: nec animum ad quosli-
bet aduersos casus despondendum, aut exi-
lium terrene ciuitatis, sed cœlestis patriæ
priuatione metiundum esse: paulatimque
illa omnis admiratio in laudem ac letitiam
est conuersa. Itaq; tibi gratulor, latorque,
te non solum exilium constanter ferre, sed
contra incertos fortune casus, cum propter
breuitatem uitæ, cuius exitus non longe po-
test abesse, tum propter spem certam im-
mortalitatis, ita præsidio uirtutis arma-
tum esse, ut in hac tam præclara felicitatis
humane contemptione ac despicientia,
proprium tuum nihil esse (quanquã ne illa
quidem tua, quæ auferri abs te aliquando
potuere, sunt existimanda) nihilq; ad te
nisi recte facere, & cœlestium contempla-
tionem putes pertinere. Ego uero istum,
quicumque eiusmodi fuerit, non modo non
exulem, etiam si ab improba & fatali for-
tuna hostiliter petatur, sed in ea, quæ ue-
re sapientis patria est, principem obtinere

locum, & inter præstantissimos ciues collo-
candum puto. Miserabilis est enim huma-
næ uitæ conditio, quæ dum tot hostibus, tam
animi quam corporis, ferocissimis oppugna-
tur (oppugnatur autem assidue) nullam so-
lidam habet prosperitatem: ac si uerum fa-
cere iudicium uolumus, indulgenter cum
eo agitur, in quem mala, quibus passim
obruitur humanum genus, minus desue-
rint, ut qui non prorsus infelix fuerit, non
immerito felix sit existimandus. quod
tum demum bene, atque adeo tum solum
quiuis iudicare poterit, cum in arcem ani-
mi ad seipsum ingressus, studia & mores
hominum contemplatus fuerit, usque adeo
à uirtute ad uitia degenerauimus, & qua
intus à domesticis, qua foris ab inimicis af-
flictamur. Recte ergo te LAVRENTI in
hæc uiam dedisti, quæ sola monachum facit,
dum nihil in rebus humanis appetis, nihil
metuis, & omnibus animi perturbationi-
bus uacuus, quæ expetenda in primis aliis
uidentur, opes, gloriam, & dignitatem, ip-
se contemnis, ac denique in humano corpore
cœlestem uitam imitaris. qui ut nihil hac
præclara philosophandi uia antiquius ha-

beas, multa tamen, & ea quidem immortalitate digna, præclarissimarum artium præsiidiis adductus conscripsisti. nam quantum à contemplatione, cuius pulchritudine ac dulcedine semel perspecta, uix & penè inuitus ab illa diuelleris, temporis uacat, tantum ad scribendum confers. iamque ea nobis legenda tradidisti, quæ ut doctrinæ tuæ fidem facere sic animi optime constituti specimen, & locuples quasi testimonium esse possunt. Quid enim uel ius libris, qui de consensu Platonis, & Aristotelis, ac de historiæ laudibus inscribuntur, eruditius, aut grauius, uel illo altero Tusci numeris conscripto, omniumque uenerum elegantis refertissimo, suauis ac iucundius esse potest? Tantum enim ex Petri Bembi, qui te plurimum dilexit, & in cuius sinum iuueniste contuleras, excelso, & Diuino Plane ingenio, leporis & elegantia sumpstisti, ut eum propè pari foelicitate ac facilitate scribendo fueris consequutus. quas ob doctes ego iam pridem inuitatus ad te amandum, sic te animo complexus sum, ut nihil potius habuerim, quam ut meam in te singularem beneuolentiam ostenderem, &

conceptam de tua uirtute opinionem aper-
tis aliquando declararem significationibus.
qua in cogitatione uersanti opportune sese
mihi obtulit, quem ad te mitterem, libellus
de laudibus Virginis Mariæ ab Hildephon
so Toletanæ Ecclesiæ olim editus. hunc sub
tuo nomine imprimendum curauit, ut uel
sic posset, cum pietatis amatoribus commu-
nicari. In eo quod mei iudicii est, purum
ac simplex dicendi genus, & uere Eccle-
siasticum agnoui, qui & si scio non defutu-
ros improbe curiosos, & indoctos (ut ita lo-
quar) eruditos, qui ea, quæ auribus tantum
blanditur eloquentia freti, omnia hoc genus
scripta contemnunt, ab huiusmodi tamen
consilio deterreri non potui, ne uel sic inte-
merata uirgo apud pios & religiosos ho-
mines hac laude defraudaretur. est. n. uirgo
nec silenda sine scelere, nec dicenda sine
maxima cura. Virgo cœlestium præceptorum
disciplinæ innutrita, omniumque uir-
tutum luminibus clarissima. Virgo decus
mulierum, lumen cœli, & errantium uia.
Virgo quæ protinus quanta fuerit, hinc per-
spici facile potest, quod ex ea Deus, ut amif-
sam agris mortalibus uitam redderet, na-

sci dignatus est. ut & ille merito Virginis
filius & hanc matrem Dei esse & appella
ri uoluerit. In his præstaret homines assue
scere, quàm in abdita profundæ theologiæ
mysteria uelle penetrare. Atque utinam
intra hæc septa, & quasi cancellos, humana
fese uoluntas continuisset, neque inani qua
dam ostentandæ doctrinæ opinione à ueteri
Apostolicæ doctrinæ traditione recessis
set: non tot (mihi crede) in Ecclesiam Dei
irrepissent diuidia. Sed ubi in re quam li
bet tenui, semel à recto deerratum est,
(non enim uisdem institutis stat humana ui
ta, à quibus principium ad uirtutem acce
pit) in exitiosa præcipiti cursu, nisi ad me
liora confestim tete reuoces, uitia prolabe
ris. Sed alias opportunius fortasse tempus
fuerit deslendæ huius calamitatis. Nunc
hoc quicquid a me muneris in te proficisci
tur, libenter accipe. Vale & Folengio meo,
itemque Antonio Rinaldino & Augusti
no Taparello doctissimis simul & suauissi
mis hominibus salutem dic. Reliquos una
omnes Academicos appellatio, quæ ipsa mi
hi si singillatim fiet, gratior est futura, con
cludet, Cal. Ian. M D LVII.

1

D. HILDEPHONSI
TOLETANÆ ECCLESIAE
PRAESVLIS,
IN LIBRVM DE LAUDIBVS
VIRGINIS MARIAE, PRAE
FATIO QVA PIA EIVS
CONFESSIO EXPRIMITVR.



EVS lumen uerum, qui illumi
nas omnem hominem uenientem
in hunc mundum. Deus, qui das
sapientiam paruulis, insipientesq;
conuocas ut ambulent per uiam
prudentiæ. Deus, qui ex immun
do facis mundum, & tollens peccata iustificas si
ne opere peccatorem, da mihi lumen per quod te ui
deam, da mihi sapientiam ut te intelligam, da ini
quitatibus meis ueniam, ut consequar misericordiam
tuam. Nanque ideo Domine uincor amore, impela
lor dulcedine, trahor dilectione, ut ueluti de sub
prælo dulcedinis, effundam uim sacræ confessionis.
Et quia non est substantia bonorum operum, sit fru
ctus bonarum confessionum. Quia enim uincula, &
pressuræ peccatorum pondus, & pericula, exitium,
& damna, urgent animam iniquitati deditam, &

Præfatio.

non est aliud nomen sub cœlo datum in quo possim
saluus fieri, nisi tuum Christe Iesu fili Dei uiui, re-
fugium quero, remedium confessionis depono, sub-
sidium de amore confessionis imploro, ut ego impius
multam diligam pietatem cum tua pietas deleuerit
meam multam iniquitatem. Attendant ergo cœli
& omnia quæ in eis sunt, attendat terra & omnia
quæ habentur in ea, attendat mare & omnia quibus
est esse in eo, & audiant me pia confessione creden-
tem, esse te Christum Iesum filium Dei uiui qui ue-
nisti in hunc mundum, non ut iudices me, sed ut sal-
ues me, ut ego credens in nomine sancto tuo, habeam
uitam æternam. Sicque omnium creaturarum testi-
monio confessor inuentus, confitear te in cœlis, quem
confiteri non erubescio in terris, & ipse me de pecca-
torum sordibus omniumque aduersitatum impulsio-
nibus eruens, quem à contradictionibus infidelium
confessionis meæ uendicat fides, uendicator assiste.
Audite me itaq; cum antiquitatis auctoribus. Moy-
ses antiquiora loquens cum Prophetis, Esaiâ poten-
tiora uaticinans cum Euangelistis, Matthee primæ
pronuntians cum Apostolis, electe Petre insignia
prædicans intra omnem Ecclesiam Dei, felicium
turba doctorum uera dicens atq; salubria disserens,
hec me pro certo credere, quæ credenda intenditis
prædicare, hec me piissime confiteri, quæ ipsi uera-
citer confitemini, hec me ipsum annuntiare, quæ an-
nuntianda docetis. Audite me his posse quo possim
ueram

Præfatio.

ueram obedientiam dare, quibus posse toto uniuersam
Ecclesiam Dei decernitis obedire. Unde quia
credidi, propter hoc loquar, quia audiui, non tacebo.
quia diligo, annuntiabo. nihil per contentionem &
inanem gloriam in omni mea propositione insinua-
bo. nihil in contradictione sanctæ ueritatis institues.
nihil quod subuertat, sed quod aut inueniat aut re-
feret ueritatem intendens. Quod si abundans mise-
ratio diuinæ pietatis animaduernerit indiscretum
me errantem, dum tractandi intentio illuc casu ali-
quo uel imperitus scribentis conatus me deduxerit
hebetantem, ubi aliter uerum sanæ scientiæ lumen,
uere docentium exemplis effulserit gratus obedio,
deuotus assentio, citius occurro, nihil prophanum in
cōfessione habens, nihil alienum à pietate quæ Deus
est tenens, nihil quod unam & sacram fidem impu-
gnet, in omni præcordiorum abdito gerens, nihil
prorsus quod diuinis rebus officiat, nihil quod san-
ctis sacramentis obsistat, nihil quod sacris mysterijs
aduersetur. Non ergo me prælatus contemnat, non
mihî æqualis deroget, non subditus insultet, non me
quis de domo lacescat, non me de foro detractet, non
religiosus susurret, non popularis immurmuret, non
adolescentem abnuat, non cocœuum iuuenis spernat,
non minorem natu ætas sera derideat, nō doctus ex-
probret, non ignarus abijciat, non potentior repel-
lat, non humilior auertat, non discipulus molestet,
non famulus conuexet, non ætas calumniatur, non
A 2 sexus



Praefatio.

sexus causetur. Manet enim ueritas in aeternum. uincit quod uerum est. non desinit quod a uero pro-
cedit. falso non decedit uerum. fallacijs non uincitur
ueritas. falsis non commutantur quae uera sunt. Et si
fallaciarum umbris obtegatur ueritas, reuelabunt
quae uera sunt abdita ueritatis. Quod enim falsum
est non stabit. quod uerum non est deficiet, quod ex-
tra ueritatem est, cassum erit. quod a ueritate pro-
cul est, deperibit. quia ueritas Deus est. Et quae Dei
sunt, uera sunt, et quae ex Deo sunt, sola ueritate sub-
sistunt. Inde qui Domini annuntiat ueritatem enar-
rat. Qui de Deo uera dicit, ueritatis cognitionem
pandit. Qui ea quae uera sunt asserit, ueritatis iura
defendit. Qui ueritatem amplectitur, Deum diligit.
Qui ueritatem facit Dei uoluntatem adimplet.
Deus certe occulta nouit, abdita penetrat, abscondi-
ta cognoscit, perscrutatur occulta. Proinde nouit, qui
deprauat uerum. scit qui immutat quod uerum est.
intelligit qui ueritatem minuit. in aperto sapit, qui
ueritatem extinguit. Veniet prorsus, ueniet, nec lon-
ge est, ueniet de proximo, ueniet e uicino. Sed cum
exarserit in breui, cum uenerit in maiestate, cum
fuerit in circuitu eius tempestas ualida, cum ante
eum praecesserit ignis. tunc beati omnes qui illum
ueraciter diligunt, beati qui de illo uera dicunt, bea-
ti qui ueritatem non spernunt, beati qui faciunt, in
ueritate iustitia, beati qui custodiunt in ueritate iu-
diciu, et beati omnes qui confidunt in eu. Iudex enim
ueniet,

Praefatio.

5

ueniet, districtus occurret, metuendus aderit, terri-
bilis apparebit. Omnia ergo prospicient, omnia in-
tendant, omnia considerent me ex toto corde, ex tota
anima, ex tota uirtute, ex totis precordijs, ex totis
uisceribus, ex eo quod intelligo, ex eo quod sapio, ex
eo quod narro, non aliud quam ueritatem inquirere,
non aliud quam diuinam ueritatem diligere, non aliud
quam Domini et quae Dei sunt uedicare. Solis aduer-
sarijs Dei resistens, solis prophinatoribus, et proph-
nationibus, cunctis obuius existens, solis contradi-
centibus ueritati amore ueritatis aduersans. h. ec. ago
ut cum uita ista quae tentatio super terram est, sati-
gauerit. agrum ueritas illa quae Deus est, regat sala-
uandum, et in secula saeculorum possideat uictu-
rum. Amen.

EXPLICIT PRAEFATIO.

A 5



IN CIPIT LIBER
SANCTI HILDEPHONSI
THOLETANAE ECCLE-
SIAE EPISCOPI,

DE LAVDIBVS INTE MERATAE
VIRGINIS MARIAE.



OMINA mea, Domi-
natrix mea, Dominas mi-
hi, mater Domini mei, ana-
cilla filij tui, genitrix fa-
ctoris mundi, te rogo, te
oro, te quaeso, habeam spi-
ritu Domini tui, habeam
spiritu filij tui, habeam
spiritum redemptoris mei, ut de te uera, & digna sa-
pia, de te uera et digna loquar, de te uera, & digna
quaecumq; sunt diligam. Tu electa a deo, assumpta a Deo,
aduocata a Deo, proxima adherens Deo, coniuncta
Deo, uisitata ab Angelo, salutata ab angelo, benedicta
ab Angelo, beatificata ab Angelo, turbata in sermo-
ne, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione,
admirata in dictorum enuntiatione. Gratiam audis, ne
timeas iuberis, fiducia roboraris, cognitione miracu-
lorum instrueris, ad nouitatis inaudita gloriam pro-
ueheris. De prole pudicitia admonetur, de nomine
prolis

prolis uirginitas. certificatur, nasciturum ex te san-
ctum, Dei filius uocandus dicitur, & quae sit nascentis
regni potentia mirabiliter intimatur. Quomodo
fiet, quaeris? De origine interrogas, De ratione per-
scrutaris, De experientia requiris, De ordine scisci-
taris. Audi inauditum oraculum, considera inuisita-
tum opus, animaduerte incognitum archanum, atten-
de inuisum factum, Spiritus Sanctus superueniet in te,
altissimi uirtus obubrabit tibi, tota inuisibiliter Tri-
nitas conceptione operabitur in te, persona filij Dei
in corpore nascitura, carne assumet de te, ideoq; quod
concipitur ex te, quod nascetur ex te, quod prodibit
ex te, quod generabitur ex te, quod parturietur ex te
sanctum uocabitur filius Dei. Erit magnus, erit Deus
uirtutum, hic rex seculorum, hic factor omnium rerum.
Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerpe-
ras, Domina inter ancillas, regina inter sorores. Ecce
ex hoc beatam te dicunt omnes generationes, bea-
tam nouerunt caelestes uirtutes, beatam praedicant
omnes uates, beatam omnes celebrant nationes. Beata
tu fidei mea, beata tu anime mea, beata tu dile-
ctioni mea, beata tu praedicationibus meis. Praedicem te,
donec praedicanda es, diligam te donec diligenda es,
laudem te donec laudanda es, seruiam tibi donec seruiendum est
gloriae tuae, tu accipiens Dominum solum, posterior filio Deo,
tu generans Deum simul, & hominem, prior homine filio,
cui in suscipiendo tantum hospes Deus, cui in concipi-

piendo incola homo simul, et Deus, in præterito mundo Deo, in præfenti plena homine & Deo, in futuro generans hominem, & Deum, & foetu & uirginitate leta, & prole, & pudore gauisa, & filio & sponso fidelis, ita seruās in filio fidem, ne ipse quidem carnis suæ nouerit genitorem. ita seruans sponso fidem, ut ipse te sine uiro nouerit genitricem. tanto gloria bunda in filio, quāto uirorum omnium nescia tactus, instructa quid nosceres, edocta quid crederes, certificata quid sperares, roborata quid sine amissione teneres.

CONTRA IOVINIANVM
perfidum.

AUDI tu, percipe tu Iouiniane, corde sapito fatue, præcordijs cognosce stulte, sensu discе caduce. Nolo pudorem nostræ uirginis corruptum partu causeris, nolo integritatem generatione discerpas, nolo uirginitatem exitu nascentis scindas, nolo uirginitatem genitricis officio priues, nolo uirginalis genitrici gloriæ plenitudinem tollas, si horum unum confundis, in toto confusus es. Si concordiam nescis, concordia ueritatis ipse priuatus es. Si hæc discordantia causeris, semper discors iustitiæ inueniris. Si uirgini nostræ generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim ueluisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione

ruptione adire uirginem non potuisse. Negas Domini, quod uellet facere quiuisse, quem contendis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse. Ut ergo asseris omnipotentis diuinitas non profuit uirginitati, sed obsuit; quia dum uirgineum decus nascendo uiolauit, summam uirginitatis destruxit. ac per hoc ipsum astruis uirginem deturpasse nascendo, quam decorauerat ipse creando. Hebe scat oro, hebetescat cor talia meditans, obmutescat os talia proloquens, hereat lingua talia promens, non aspiret sermo talia narrans. Ecce enim uirgo ex Deo, uirgo ex homine, uirgo attestante Angelo, uirgo iudice sponso, uirgo ante sponsum, uirgo cum sponso, indubitata uirgo etiam dubitante sponso, uirgo ante filij aduentum, uirgo per filij generationem, uirgo cum filij natiuitate, uirgo post filium natum. Verbo sæcunda, uerbo repleta, uerbo uberrima, uerbo partu digna. Humana quidem natiuitate, humana lege, humano usu, humana conditione, humana ueritate, illæsa, incorrupta, inuiolata, intemerata, integerrima uere, diuino autem munere, diuino fauore, diuina collatione, diuina adinventione, diuino dono, diuino concessu, nouo opere, noua efficacia, noua operatione, nouo effectu, nouo partu, cum conceptu uirgo, per conceptum uirgo, in conceptu uirgo, post conceptum uirgo, per partum uirgo, in partu uirgo, cum partu uirgo, post partum uirgo, uirgo cum nascituro, uirgo cum nascente, uirgo post filium natum. Coniunxit di-

Et uirgo coniunxit assumpta, et uirgo coniunxit
 credita, et uirgo cum coniuge, et prole perennis
 uirgo. Ignota semper coniugi, ignota tactu, ignota
 amplexu, ignota maritali collegio, et tunc certe, tunc
 indubie, tunc uere, tunc ueraciter sancta uirgo, beata
 uirgo, gloriosa uirgo, honesta uirgo, sed post genera-
 tionem incarnati uerbi, post natiuitatem Dei homi-
 nis facti, post generationem in Deo hominis assu-
 mpti, post natiuitatem in Deo hominis uniti, sanctior
 et sanctissima uirgo, beator et beatissima uirgo,
 gloriosior, et gloriosissima uirgo, nobilior et nobi-
 lissima uirgo, honestior, et honestissima uirgo; au-
 gustior, et augustissima uirgo. Sed ne solus tuæ uesa-
 niæ uepribus hæreas, ne solus spinis tuæ demētiæ se-
 piaris, ne solus tuæ uecordiæ sentibus coarctaris, ne
 solus intelligentiæ tuæ aculeis infigaris, ne solus de-
 fensionis tuæ acuminæ perimaris, connectam parem,
 coniungam parilem, sociam, similem, inmodem, coe-
 qualem, copulem talem.

CONTRA HELUIDIUM.

AVDI ergo, et tu Heluidi, ad me attende im-
 puderate, me ausculta impudice, me intuere inhone-
 ste, me conspice inuerecunde, quid impudicitia com-
 moueris? Quid inuerecundus assistis? Quid inhone-
 stus accedis? Quid sine uerecundia occurris? Quid
 sine pudore uexaris? Quare uirginis nostræ princi-
 pia corruptionis sine coarctas? Quæ obrem initia pu-
 doris

doris exitu actæ procreationis infamas? Cur inte-
 gritatem diuinitate, sacramenta humana. conuen-
 tione deturpas? Nolo ius maiestatis irrumpas, ne
 possessionem Dei conuexare ausus pertentes, ne man-
 sioni diuinitatis noceas præsumptione contentio-
 nis, ne domum Dei iniurijs corruptionis conso-
 dias, ne portam domus Dei eius exitu clausam à
 quocunque posse adire contendas. Virtutum Deus
 est Dominus possessionis huius, cælorum rex est pos-
 sessor iuris istius, omnipotens est artifex ædificij hu-
 ius, et custos est portæ egressionis huius. Nemo in-
 gressus est cum illo, nemo regressus. In adeundo eam
 nemo socius, in egrediendo nemo sodalis. Qualiter
 egressus est, nemo nouit, qualiter exierit, egressio so-
 la cognoscit. Absq; ueste Deus ut ita dicā ingreditur,
 qui ut certe dicam carne uestitus egreditur. Ad domū
 sui operis uenit, carnis tantummodo uestem tulit, idem
 qui uenerat redijt, sed aliter quā inceserat inde pro-
 cedit. Hanc domum ingrediens, non pudoris spolia
 tulit, sed egrediens integritate ditauit. A Domino
 quidem erat fundata, sed aduentu Domini nondum
 plena. Nuntiāte Angelo, fundatoris sui cognouit ad-
 uentum, et nouæ congressionis admiratur accessum.
 Habitorem inesse sibi cognoscit, et qualiter in ab-
 ditis agat, plene non penetrat, ueruntamen animæ
 uirtutes parans in officia uirtutis, defert Domino
 debita iuræ conditionis. Quod ille cælo præsidens
 iusserat, hæc in se recepto ministrat, approbans se-
 conditori



12
De laudibus uirginis Mariae
conditori suo mundam carnem simulq; animam praeparasse, quae & spiritualia obsequia carnali filio detulit, & Deum suae carnis incorrupta, & in communitabili ueritate uestiuit. Desinito tempore hunc qui uenerat egredi sentit, et placido egressionis leta processu, aliter procedentem inspicit, quam accedentem sciuit. Suae carnis ueritate hunc uidet esse uestitum, et in se sui nitoris, ac pudoris integritatem minutam esse non sentit potius sed creuisse. In hac regione solitudo, Deo tantum & domui, in hac mansione singularitas, hospitio tantum et hospiti. Hic locus cum uno tantum aduentante cohaeret, hic uterus unius tantum agnitione congaudet, nec alterius uiri, quam nascentis unius membra cognoscit. Cum ergo haec spiritus Dei per prophetas praedixerit, per doctores firmauerit, per ueritatis auctores defenderit, per seculorum aeternitatem consolidauerit, quid tu noui erroris astructor, quid fatuissimus infamator gloriosae uirginis, tu infamis quid infami asseris, proloqui audes, musitare contendis, susurrare proponis, garrira praesumis, ut uirginis uteri illa habitatio Dei, ut regis uirtutum illa nitore pudoris aula clarissima, ut mansio illa carnis pudicae, ut locus gloriosus illius Dei, quem non capit diuersitas uniuersa locorum. Post generationem Dei, post incarnationem uerbi, post natiuitatem Domini, post ortum saluatoris de carneo uiro periturae carnis soboles generaret, de loco uitali, ex mortali semine moritura membra produceret,

duceret, de conclusionis horto qui solum uirginis insolite florem produxit, spinarum maritalium uepres afferret, de fonte nascentis uirginali egressionis signato caenum maritale decurreret. Opto, opto, ut dolor crucians illi dentium seras concludat, foueam oris eius immobilitas linguae compleat, concaua palati aer subductus euacuet, extrema labiorum a eris crassedo coglutinet, ne talium uerborum faex erumpat, ne persecutionis huius odor aspires, ne anhelitus loquelae susurret. Ne uel exilis sonus tinniat, ne uerberatus aer, uel infandissima uerba conformet. Ecce enim in solito modo, insolito usu, insolito ordine, in solito iure, in una persona, in uno corpore, in una conditione, in una a tate, alternat in genere uirginitas, alternat pudor uirginis, & matris, alternat in uirgine generandi facultas. Et neutrum cedit illi, & utrunque in alterum deriuatur, & neutrum impedit ad inuicem & ambo properant sibi. Utrumque seruat in proprio, utrunque transit in alterum, quia ambo unum, quia duo idem, quia diuersa id ipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens prouentus, non matrem uirginitatis deserit decus, non uirginem maternus impedit partus. Et uirginem non uiolat fetus, & matrem habet pudor uirginis. Sicq; matris et uirginis nomina nullis dissociata sunt casibus, nullis impedita difficultatibus, nullis lesa prouentibus, nullis dubia rebus, indifcreta utraque, inseparabilia utraque, indefecabile totum,

totum, indiuisibile totum. Accidit aliquando præterito tempore ut effet mater, quæ uirgo erat, euenit ut generaret, quæ nusquam corrupta usu generis maneret. Affuit ut parturiret lege parturitionis ignota.

Occurrit ut existeret in filio integra, quæ in coniuge nõ extiterat diminuta. Sed illud est inextimabile, illud incomprehensibile, illud inenarrabile, illud admirabile, illud inauditum, illud inuisum, illud incognitum, illud inusitatum, ut uirginitas conceptu clarescat, ut partum uirginitas comitetur, ut generatio assignet uirginem, ut uirginitas probet matrem, matrem quoque ut uirginitas clarificet, uirginem ut fecunditas matris ornet, ut decus maternum uirginitas assequatur. Ita maternâ uirgo accipit uirtutem, ita uirginis gloria transit in genitricem. Ita nomen genitricis accedit in uirginem, ita pudor uirginis manet in matre. Sic ergo accidit, sic euenit, sic affuit, sic occurrit, ut si matrem queram uirgo sit, si uirginem queram, mater sit, si prolem queram, uirginis sit, si pudorem queram mater omnino sit. O uirtutum omnium Deus, ò creatur arum omnium Deus, ò Factor omnium Deus, ò mirabilium omnium Deus, qui cunctis miraculis tuis, uniuersis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis, omnibus magnalibus tuis, hoc factum, hoc opus, hoc gestum, hoc actum, miserationis thesauros aperiens, pietatis archana demonstrans, indulgentiæ diuitias reserans, clementiæ riuos emittens, in salutem meam & mundi, in redemptionem

meam

meam & mundi, in iustificationem meam, & mundi, in liberationem meam, & mundi, fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile, egisti sine exemplo singulare, formasti, sine comparatione similitudinis potentiale, complecti, sine consimili æquiparatione uitale, finxisti sine intelligendi consideratione inestimabile, sine obliuione perenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile. Per quod error motus est, per quod labor ablatus est, per quod peccatum deletum est, per quod mors uere destructa est, per quod salus collata, per quod uita concessa, per quod cœlum patefactum, per quod regnum cœlorum promissum est, per quod inuenimus eundi in uiam, per quod assequimur perueniendi ad ueritatem, per quod adipiscimur requiescendi uitam, per quod habebimus perennem tuæ dulcedinis uisionem. At nunc iam modo, iam in presenti, in hoc loco, in hoc situ, in hoc momento, in hoc tempore, & in omnia semper secula seculorum.

CONTRA IUDÆOS.

QVID dicis Iudæe? Quid proponis? quid astruis? quid obicis? quid obiectas? Ecce uirgo nostra ex tirpe tua est, ex genere tuo est, ex traduce tua est, ex gente tua est, ex populo tuo est, ex plebe tua est, ex generatione tua est, ex origine tua. Verûtamē ex fide nostra est, ex credulitate nostra est, ex assensu nostra est,

cx

ex reuerentia nostra est, ex honorificentia nostra est, ex laude nostra est, ex glorificatione nostra est, ex dilectione nostra est, ex amore nostra est, ex prædicatione nostra est, ex præconio nostra est, ex defensione nostra est, ex uendicatione nostra est: Quod enim tibi spiritus sanctus de illa per prophetas dixit, per oracula intimauit, per figuras innotuit, per præcedentia promisit, per subsequencia compleuit, te negante, te non credente, te respiciente, te abnuente, te resultantem, te blasphemantem. Ego noui, ego credidi, ego sapio, ego ueneror, ego honoro, ego glorifico, ego amplector, ego diligo, ego prædico, quia me gratia præuenit, fides impleuit, misericordia subsequitur, amor prouexit, & rei huius gloria exaltauit. Tu autem quem perfidia auertit, quem prauitas occupauit, quem cæcitas adijt, quem error obtinuit, quem obstinatio indurauit, dicit quare non credis in genere tuo puer per am uirginem? Quare non credis sine uiro uirginem concepisse? Quare non credis proprium uirginem gestare filium? Quare non credis uirginem manere post partum? An illo mendacij genere illinitus, illo primæ uæ fraudis ueneno crapulatus, illo parentali fallaciæ argumento confusus, illo in fide prosecutionis astu peruersus, illo antiquæ pertinaciæ munimento firmissimus, in sacris literis adulescentulam, & non uirginem parere causaris. Plane mentiris, fallis, & falleris. Falsò criminaris, falsò impetis, falso proponis, falso contendis, falso arguis, fal-

so defendis. Si enim ut ais iuuenicula, & non uirgo parere posset, quid significaret Dominus miraculum daret, quid admirabile demonstraret, quid inusitatum ostenderet, si iuuenicula pareret quod consuetudinis erat, si puella pareret quod ætatis erat, si coalescens fœmina parturiret quod teneritudinis erat. si non impar matrimonio pareret, quod naturæ simul & temporis erat. cuius interdum maxima cura desponsor manet electione sollicita, cuius meus desuturæ coniunctionis est expectatione per anxiam, cuius uota sunt de sola uiri experientia non incerta? Sed uere illud esset signum si uirgo pareret & integra esset, illud existeret nouitas & si uirgo parturiret, et pudore nitesceret, illud habet admiratione dignissimum si uirgo pareret & incorrupta consisteret, in illo ostendit fore miraculum si in humana conceptione fieret quod humana natura nesciret, in illo dari signum si nulli maritata uiro fieret pariens uirgo, in illo rei stuporem fieri si femina & uirginalibus simul & maternis inferuiret offitijs in illo facti admirationem præactum iri si uno mulier tempore letaretur præmijs filij simul et pudoris. Ut ergo noueris in signo concepisse hanc feminam non usu in admiratione, non in conuentione fetosam existere in nouitate miraculi, non in uetustate parere coniugali, in incorruptione uirginea secundari, non in fœdere nuptiali Dei mater est, sed propter incarnationem uerbi Dei genitrix est, sed propter assumptionem ho-



minis Dei administratrix est, sed propter quod idem subditus erat parentibus Dei nutrix erat, quia qui hunc nutriunt reges & reginae erunt. Quoniam iste filius eius Deus, & homo est, uerbum & caro est, diuinitas & humanitas est. Pax nobis, scandalum uobis est. sapientia nobis est, stultitia gentibus est. Inde merito humana referuntur ad Deum, & quae Dei sunt, referuntur ad hominem. Inde insolida hominis Dei participatione roborantur, & solida Dei infirmari dicuntur, inde in imis summa perueniunt, inde in summis ima pertingunt, inde insolita solitis temperantur, inde insolida solidantur insolidis, Quae ut uera esse non ambigas audi sancti spiritus uerba, audi prophetarum oracula, audi uaticinantium dicta, audi ueritatis praeconia:

CONTRA IUDAEOS
HESAIAS.

PARVVLVS enim (inquit) natus est nobis, filius datus est nobis, Paruulus inquit, id est Christus, qui homo non sibi, sed nobis natus est, filius datus est nobis, qui utique Deus filius Dei se dedit incarnari pro nobis, & ecce homo est in eo quod paruulus natus est nobis. Deus autem est ipse qui filius Dei datus est nobis. Item Dauid, Minus eum paulominus à Deo. Is qui minoratus dicitur à Deo Deus certe aequalis est Deo, qui in eo quod dicitur minora-

tus

tus homo uere humilis est natus. Item in psalmis ita pater de eo, quia Deus est ex utero (inquit) ante Luciferum genui te. Quia homo est alibi dicitur, quasi de uulua egredietur tibi ros adolescentiae tuae. Item ibi, Homo factus est in Syon et ipse fundauit eam excelsus. In hoc quod factus humillimus homo est natus, in eo quod fundauit eam excelsus est Deus. Multa quidem & alia copiosa uere sufficientia, prorsus abundantia, certe exuberantia, plene poteris inuenire de duabus naturis in Christi huius unitione conexus, si tantum in illum credas si illi fidelis existas, si ei ueram fidem exhibeas, si illum in ueritate confitearis, si illi ueram confessionem impendas, quae tamen ego ipse ex toto non praetermittens conijciens innectam aliqua post paulisper.

Cuius ergo tanta gloriae, & dignitatis est filius, ut sit in assumpto homine Deus, audi quantae gloriae, & nobilitatis est genetrix eius. Haec in Hesaia. Virga est ex radice Iesse, id est de genere eius exorta uirgo, quae florem hoc est Christum spiritali tantum infusione sine omni corruptionis accessione produxit. Item in Hesaia. Haec sola terra fide aperta non corruptione germinare potuit saluatorem rorantibus caelis & nubibus pluentibus iustum, id est prophetis praenuntiantibus eius aduentum. Haec in Ezechiele. Domus Dei cuius pudoriis integerrima sunt claustra ad orientem consistens porta semper est clausa, quae neque ante natum neque prius natum hunc

B z filium



filiū alterius accessum, & transitum nouit, quia so-
 lus ipse Dominus per eam nascendo transiuit, & sem-
 per est clausa, quia semper est uirgo. Hæc in psalmis
 thalamus Deus est, quia de utero eius iste incarnatus
 Deus processit, uelut sponsus in ea relicto perennis uir-
 ginitatis decore mansuro. Item in psalmis. Hæc terra
 est de qua ueritas orietur, quæ ueritas Christus eadē
 est, et q. de cælo prospexit iustitia Deus. In psalmis.
 Hæc terra fructum suū dedit, idest Christum nostrū
 genuit, et benedixit nobis, id est Deus Deus noster, ut
 benedicat nobis Deus, & simus benedicti à Deo, ter
 uocabulo repetito, quem in trinitate unum Deum om-
 nes terræ metuant fines. Sit rogo iam, sit rogo iudæe
 gratissimum tibi tantæ uirginis decus, in tua cogna-
 tione repertum, sit amabile tantæ gloriæ uirginem
 in tuo genere inuentam esse, sit letum in tua traduce
 tantæ pudicitie uisum insigne. Sit iucundum in stir-
 pe tantum tua patefactuum tale miraculum. Ecce im-
 pleta est omnis terra per hæc uirginem gloria Dei.
 Cognouerunt omnes à paruo usque ad magnum per
 hanc uirginem Deum uiuum magnum, uiderunt om-
 nes per hanc uirginem salutare Dei. Rememorati
 sunt, & conuersi per hanc uirginem ad Deum uni-
 uersi fines terræ, adorāt in conspectu filij eius omnes
 patriæ gentium. Cantāt omnes ipsi domino filio eius
 redemptionis sue canticum nouum, quia nascendo de
 hac uirgine magnalia fecit. Notum fecit Dominus
 per hanc uirginem salutare suum, & ante conspe-

ctum

ctum nostrum reuelauit per hanc iustitiam suam.
 Inuenerunt per hanc uirginem Deum, qui eum per
 obseruantiam legis inuenire non potuerunt. Ven-
 nit per hanc uirginem, & congregatis Deus gene-
 tibus, & linguis uenimus, & uidimus gloriam e-
 ius, quasi gloriam unigeniti à patre. Congregatæ
 sunt omnes gentes in nomine huius domini in Hieru-
 salem, quæ est uisio pacis, idest ecclesia uniuersalis,
 & non ambulabunt ultra post prauitatem cordis sui.
 Iurauit dominus in ueritate, & iudicio, & ecce tali
 matre progenitum omnes gentes benedicunt, ipsūq;
 collaudāt. Ecce iste Deus fortitudo nostra est. Ad hūc
 omnes gētes uenimus ab extremis terræ. Et cum Hie-
 remia dicimus. Vere mendatium possederunt patres
 nostri. Ecce in die nouissimo hic mons filius uirginis
 huius preparatus est in uertice montium, id est ele-
 uatus est super apostolos nostros, & super omnium
 uirtutum cælestium maiestates. Confluimus ad eum
 omnes populi, & properamus gentes multæ. Ascendi-
 mus ad hunc dominum montem domini, & ad domum
 Dei Iacob, quod est ecclesia Dei uiui. Doceat nos de
 uijs suis, ibimus in semitis eius, quia lex gratiæ de
 Syon egressa est, & uerbum de Hierusalem, in quod
 iussu est sanctis Apostolis nos omnes in nomine eius
 baptizari, & sancto spiritu adimpleri. De te autem
 propter cordis tui pessimi obstinationem, propter
 impuram uoluntatem, propter insidam mentem, pro-
 pter conscientiam malam, propter incredulitatem iu-



De laudibus Virginis Mariae.

gem, propter superbiam ueram, propter inobedientiam fallacem, propter promissa infidelia, propter fidem instabilem. Audi dominum in Deuteronomio proclamantem. Eritis gentes ad caput, incredulus autem populus ad caudam. Cui incredulus nisi isti Deo in humilitate hominis ex hac uirgine nascituro? Item Hieremias. Præuarcatione præuarcata est in me domus Iuda (ait dominus) negauerunt me, & dixerunt non est ipse. Quod nunc usque Iudæe, propter Christum hunc dominum nostrum huius uirginis filium dicis, non est ipse, expectans alium cum quo pereas antichristum. Item Hesaias. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Non credentem & contradicentem, cui nisi isti deo? Qui quonia de hac uirgine natus est, credere nolūt hunc esse Deum. Item ipse. Quo modo dicitis sapientes sumus, & lex Dei nobiscum est? Vere mendatium operatus est stylus mēdax Scribarum, Confusi sunt sapientes, & periti capti sunt, Verbum Dei proiecere, & sapientia nulla in eis, Quod uerbum hoc utique de hac uirgine carne factum, sapientia scilicet Dei patris, quæ gentibus stultitia est. Item Hesaias. Audite me duro corde, & qui longe estis à iustitia. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Quæ iustitia, & quæ salus nisi hic utique à quo iustificati, & saluati credentes sumus? Item Esaias. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem. Surdum, & aures sunt

Contra Hebræos.

23

sunt ei, Quid non uidentem, & quid non audientem nisi hunc filium Dei ex homine incarnatum, & cuncta, quæ de eo multifaria sunt prædicta? Item in Osee, Væ inquit eis quoniam recesserunt à me, uastabuntur, quia præuarcicati sunt in me. Ego redemi eos & ipsi locuti sunt contra me mendatium. A quo recesserunt? Utique à me, quia humilem uidentes hominem Deum esse contempserunt. Et quod mendatium locuti sunt? nisi quod Hieremia dicente, non est ipse? Et quare non ipse? Quia audistis eum, & non erat aspectus, desiderastis despectum, & nouissimum uirorum uirum dolorum, et scientem ferre infirmitatem, & quasi absconditus uultus eius, & despectus, unde nec reputauimus eum. Quibus uerbis incredulitas tua significatur, cui uisus est Christus non habere speciem, neque decorem, unde nec à te reputatus est esse Deus. Dixi celer, dixi currens, dixi transiliens, dixi pernix, dixi uelox, dixi quæ cito reperi, quæ de uicino attigi, quæ de proximo inueni, quæ de confinio intuli. Nam si peritia pollens, si prudentia uigil, si acumine uiuax, si inquisitione strenuus, si sollicitudine minus inbers, uelim, aut possim dies mihi deficiet, momenta decrescunt, ora lassescunt, mane ruet, meridies languescet, uespera decidet, intempesta, & gallicinia crepuscula noctiū non suppetēt de talibus sacramentis, aut fidei meæ congrua, aut perfidie tuæ discordantia, & aduersa promere, uel narrare. Vnde iam ueni mecum ad hanc uirginem ne sine hac prope

res ad gehennam. Veni abscondamur sub uelamento uirtutis eius, ne induaris confusione sicut diploide. Veni confiteamur, ego delicta iuuentutis, & ignorantie mee, & tu delicta sacrilega sceleris tui, ne reuelent cæli iniquitates tuas. Veni humiliemur in ueritate confessionis, & laudis eius, ne terra consurgat aduersum te asserens tantis sæculis se tuam perfidiam sustentasse. Non erubescas filiū eius esse deū tuum ne, & ipse te erubescat coram angelis suis. Non erubescas sermones eius ne ipse te in annotationem libri uiuentium erubescat. Confitere illum in regione terrarum, ut & ipse te confiteatur in terra uiuentium. Confitere illum deum esse filium hominis matris, ut ipse te confiteatur corā patre suæ diuinitatis. Time maiestatem eius inter homines, ne te humanitas eius in tartara præcipitet coram angelis suis. Dilige illum dum patiens est, ne odio te habeat dum iudicauerit te.

ARBITROR me per uirtutem dei hostem, ut potui confodisse, reliquisse casum, abiectis eneruatum, exanimem dimisisse. Vnde & palidus adest, ex sanguis superest, defessus angitur, fatigatus manet, concisus iacet, confossus ruit, elisus interijt. De uitali flatu nihil superest, de spe uitæ iam nihil est, de reditu uitæ illi expectatio nō est. Vnum tantum est quod anhelitus perfidiæ anhelat, quod exile murmur erroris aspirat, quod tenui tabo de sacrilegi sepulchro anime naribus exoret. Verum redibo, repedabo, retro gradiar, retro conuertar, & non ibo donec desinat

ciat, non uadam donec intereat, non pergam donec adstrictus sub pedibus euanescat, ne de cadauere perfidia quidam uermiculus supersit, ne de morticinio sacrilegij tinea quæcunq; consurgat, ne de tabo prophanationis quodcunq; genus uermium oriatur, quod in criminum antro demonum fauoribus pastum sensim assurgat in beluam, euolet in uoluerem, applaudatq; sibi disputationis retia euasisse, qui funditus se ingemiscit uincere nequiuisset, gutturq; à capulo differens ratiocinationis abducat, & per aërias potestates leuitate uagabunda ferendus sese fraude suspēdat, ac scilicet sub pauore uel fuga illi arrideat, cui sub spe uictoria non concordat. Auditum ergo ante loquelam examinato hostis appone, auriculam ante linguam adaperi, ante aures admoue, post oris seram remoue, ut prius nouis, quam loquaris, primum sapias, quam respondeas, prius corde percipias, quam ore depromas. Sicq; de hac ueritate, ut cognoscas plenitudinem ueritatis asserte considera, intuere, uide, intellige, perpende, animaduerte, intēde, scito, sapito, disce, cognosce hunc eundem esse deum ex deo in ueritate naturæ suæ, qui ex uirgine homo factus est in ueritate naturæ mee, hunc esse perenniter æternum, qui dispensatione factus est temporalis, hunc uenisse qui est immobilis, hunc contineri in leco, quem non continet locus, hunc esse intra locum qui est omnium locus. Nam & ut expressius dicam, ipso ducente sequar eum, ipso præunte curram post illum, ipso antecedente

recedente uadam post eum, ipso adiuuante ingrediar
 ad illum, ut in quatum ipse permiserit adseuerem ti-
 bi, ostendam tibi, enarrem tibi, promam, expediam,
 conuincam, probem quod est idem ipse qui uenit, &
 unde uenit, & quando uenit, & quo uenit, & quare
 uenit, & quomodo uenit, & quid egit. Audi iam nunc
 quid est Christus qui uenit, Quid est idem qui ue-
 nit. Non aliud quam deus, & omnipotens dominus,
 dicit Malachias. Veniet ad templum sanctum suum
 dominator, quem uos uultis. Item in Exodo, Pater
 ad legis latorem. Ecce mitto Angelum meum, qui
 precedat te, & custodiat te in uia, & introducat te
 in locum quem preparauit. Obserua eum, & audi uo-
 cem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet
 cum peccaueris, & est nomen meum in illo. An quia
 Angelum audis non putas esse deum factorem, sed
 quempiam angelum factum? Absit. Magna certe de-
 mentia agitaris, si credis deo cuiquam angelo, & po-
 testatem, & nomen proprium contulisse, atque con-
 tra tuam simul, & meam uocem non esse unum deum
 qui fecit omnia. Quare angelum illi dicis esse aqua-
 lem, quod utique non est uerum? Quis enim equabi-
 tur in nubibus, aut qui similis erit domino inter fi-
 lios dei, id est in angelis bonis, & in hominibus san-
 ctis quos adoptionis amore diuinae paternitatis pie-
 tas filios uocat? Unde Christus uenit? Item unde ue-
 nit? Vere non aliunde, quam de deo uenit. Audi ipsum
 per Salomonem. Ego ex ore altissimi processi. Item
 pater


pater in psalmis de eo. Ex utero ante Luciferum ge-
 nui te. Hinc & alia ipse per Salomonem, Ante om-
 nes ego parturiebar. Et Zacharias. Hæc dicit, domi-
 nus Deus, Post gloriam misit me ad gentes, quæ spo-
 liauerunt uos. Qui enim tetigerit uos tanget pupil-
 lam oculi eius. Quia ecce leuabo manum meam su-
 per eos, & erunt in prædam his, qui seruibant tibi,
 et scietis, quod dominus exercituum miserit me. Quan-
 do Christus uenit? Missus est autem ad gentes post
 gloriam deitatis quam apud patrem habuit cum es-
 set humilis in forma serui, qui erat æqualis paternæ
 diuinitatis. Item Esaias. Ego sum primus, & ego no-
 uissimus, manusque mea fundauit terram, & dextera
 mea fundauit celos. Non à principio in abscondito
 locutus sum, ex tempore antequam fieret ibi eram.
 Et nunc dominus misit me, et spiritus eius. Ecce qui
 primus, qui nouissimus, & factor omnium mittitur à
 domino patre, cui & cum quo æternus, & cum quo
 æqualis habetur. Item quando Christus uenit?

Dicat Iacob in benedictionibus patriarcharum.
 Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de foemori-
 bus eius donec ueniat, qui mittendus est, & ipse erit
 expectatio gentium. Tunc ergo uenit quando per am-
 bitionem succedente in regno Herode alienigena de-
 fecit in Iudæa princeps de Iuda, in quo defectu adue-
 nit ille qui mittendus erat, quem gentes & populi
 expectabant. Item in Daniele, ad se loquente angelo,
 Daniel animaduerte sermonem, & intellige uisionem.

Septuaginta ebdomadae abreuiate sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, & consumetur priuaricatio, & finem accipiet peccatum, ut deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, & impleatur uisio, & prophete, & unguatur sanctus sanctorum. Quod tempore illo esse completum predictarum rerum, & euentus, & exitus docet.

Quo Christus uenit? Item quo uenit? Dicat Micheas, & tu Bethleem domus effrata nunquid paruula es in milibus Iuda? Ex te initium egredietur, qui sit dominator Israel, & hic secundum carnem. Nam secundum diuinitatem illud qui connectit egressus eius à diebus aternitatis. Item Dauid, Ambulabimus de uirtute in uirtutem, & uidebitur deus deorum in Syon. Item Hieremias in libro Baruch. Hic est Deus noster, & non existimabitur alter ad eum, qui inuenit omnem uiam prudentiæ, & ostendit eam. Iacob puero suo, & Israeli dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus. Quare uenit Christus. Item quare uenit? Ipse per Esaiam dicit. Spiritus domini super me propter quod inxixit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis redemptionem, & cæcis uisum. Item ipse, Ecce Deus ipse ueniet, et saluos nos faciet. Item Abacuch, Existi in salutem plebis tuæ, ut saluos facias electos tuos. Quomodo Christus uenit. Item quomodo uenit? Abiectus utique, & egenus, Dicat Zacharias. Dicite filiæ Syon ecce rex tuus uenit tibi iustus, & saluans,

uans, pauper, & sedens super asinum indomitum. Item apud Esaiam ex persona dei patris. Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & sublimis erit ualde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter uiros, aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est nuntiatum de eo uidebitur, & qui non audierunt contemplati sunt. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut uirgula coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, & uidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus despectum, & nouissimum uirorum uirum dolorum, et scientem ferre infirmitatem, & quasi absconditus uultus eius, & despectus, unde nec reputauimus eum. Vere linguas nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum, quasi leprosum, & percussum à deo, & humiliatum, Ipse autem uulneratus est, propter iniquitates nostras, & atritus est, propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uia sua declinauit, & dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse uoluit, et non apperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se sine uoce, sic non apperuit os suum. De angustia, & de iudicio sublatu est generatione eius



De laudibus Virginis Mariae


90
eius quis enarrabit? quia abscisus est de terra uiuentium. Propter scelus populi sui percussus eum, & dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius, & uoluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam uidebit semen longaeuum super terram, & uoluntas domini in manu eius dirigetur, Pro eo quod laborauit anima eius uidebit, & saturabitur. Insipientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispersit ei plures, & fortium diuidet spolia pro eo, quod tradidit in morte animam suam, & cum sceleratis deputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. Item apud eundem, Non clamabit, neque audiet, quis in plateis uocem eius. Calamum quassatum non conteret, sed in ueritate proferet iudicium quoadusque ponat in terra iudicium, & in nomine ius gentes sperabunt. Et in psalmis de ipso canitur. Ego autem sum uermis, & non homo obprobrium hominum, & abiectio plebis. Adaperi Iesus meus adaperi os meum, & reple illud confessione misericordiae tuae. Tange os, & auriculam cordis mei, dicens adaperire, & audiam quid loquaris per spiritum sanctum tuum. Reple os meum laude tua, ut possim enarrare magnificentiam tuam, & mirabilia tua filijs hominum, qui uiuis & regnas in secula seculorum, Amen.

Quid egisti domine? Quantum ad omnipotentiam

Contra Hebraeos.

91
tiam unitae Trinitatis pertinet, omnia per te facta sunt, & sine te factum est nihil. Quantum autem ad id pertinet, quod specialiter in tua persona incarnari, & hominibus apparere saluator omnium aduenisti, & ipse factus es sub lege, natus ex muliere. Verum, & quia operum tuorum gressus habueris, atque quosdam saltus mirabilium diuersitatibus dederis, Psalmista dicat. Visi sunt gressus tui deus, ingressus dei mei. Illi utique quibus in mundum per uirginem uenisti, ex quibus ad patrem per resurrectionis gloriam redisti, unde & uenisse te tam uaticinantium dicta confirmat, quam operum tuorum exempla demonstrant. Cum igitur in mundum uenisti aduersans tibi Iudaea datis sibi legis assertionibus cognoscat, quid egeris. Primo itaque Iudae cum inuisibiliter hic Dei filius et omnipotens ad uirginem uenit, quid agit nisi ut iuxta, quod Esaias dicit, de egressa uirga, id est, de matre uirgine, de radice generis Iesse, ascendat hic flos? Nascitur utique filius nulla corruptione concreatus, sed sola spiritus sancti infusione generatus. Item iuxta eundem agit, ut non in usu iuuenula sicut tu mentiris, sed sicut ego uerum dico insigno concipiat, & pariat uirgo. Item iuxta eundem agit, ut sine corruptionis accessu solo spiritus sancti calore, & uirtus altissimi obumbratione aperiat corporalis uirginalis uterus, & hunc germinet saluatorem. Item iuxta Daniele agit, ut abscidatur, id est, ut abstrahatur hic lapis de genere Iudaeorum

sine



De laudibus Virginis Maria.

32
sine manibus præcidentis, id est sine operatione corruptionis, & ueniens in terram amplitudinis totius mundi, impleat potètia sua orbem terrarū, et à mari usque ad mare firmet imperium suum. Iuxta Psalmistam uero agit, ut egrediatur sponsus de thalamo uteri uirginis assumpturus illam sponsam, ex omnibus nationibus ecclesiam uniuersam, cui alio loco dicitur. Audi filia uocem dei tui, & uide misericordiam præuenientis te dei, et inclina aurem obedientiæ tuæ, & obliuiscere populi tui prophanationes, & operum prauitates, & ne recorderis patris, diaboli uia deliect, siue mundi illecebras, & temporalium rerum torpeas amore. Item iuxta Psalmistam agit, ut de terra materni corporis oriatur nascendo ueritas carnis, & respiciat de caelo iustitia deitatis, sicq; in unitate personæ, deo, et homine consistète, hæc terra uirginis nostræ hunc det filij fructum, dante nobis domino deo benignitatem nostræ redemptionis. Itē iuxta Ezechielem agit, ut de hac materni uteris domo, per pudoris uirginei portam idem dominus deus Iesus egrediatur, ac dum, nec ante natiuitatem, nec post natiuitatem eius ullum unquam integritas corruptionis nouit accessum, eadem porta sit clausa, quia semper est uirginitatis sera conclusa. Horum itaque uaticiniorum adhuc summa porrecta est, ut de spiritu sancto, & Maria semper uirgine fieret hoc uerbum caro, fieret deus, & homo, fieret humanum, quod erat diuinum, non diminutione deitatis, non interitu æternitatis,

Contra Hebræos. 33

nitatis, non commutatione incommutabilis ueritatis, sed assumptione carnis, sed participatione hominis, sed societate humanitatis, sicq; in societate personæ eiusdem sit æque diuinitatis in qua & humanitas, ac per hoc iuxta Hieremiam, ipse unus Christus sit Deus, qui inuenit omnem uiam prudentiæ, qui & cum hominibus conuersatus est, homo iuxta psalmistam ipse sit homo in Sion natus, qui fundauit eam deus excelsus, iuxta Esaiam qui dicit, Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus est, quia excelsus reputatus est. Ipse sit homo in cuius humanitatis aspirationibus diuinitas eius est, sit & Deus, qui est reputatus excelsus, iuxta Dauid. Ipse sit dominus deus, ad quem loquitur dominus deus, ipse sit homo, qui sedeat ad dexteram dei. Iuxta Esaiam. Ipse sit homo, qui paruulus natus est nobis, qui sit & deus, qui filius dei datus est nobis. Iuxta Psalmistam Ipse sit deus cui dicitur, Sedes tua deus in seculum seculi, qui sit & homo, qui per exultationis oleum sancto spiritu dicitur unctus. Iuxta uocem domini, per Hieremiam ipse sit homo, cui dicitur. Ecce dies ueniunt dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra, qui sit, et deus dum subijcitur super terram, In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, et hoc est nomē quod uocabūt eum dominus iustus noster. Iuxta Micheam ipse sit homo de quo dicitur, Stabit, & uidebit, & pa



34 De laudibus Virginis Mariæ
 scet gregem suum, qui sit & deus cum subiungitur,
 in uirtute domini, & honore nominis eius erit. Quo-
 niam nunc magnificabitur usque ad terminos terræ,
 & erit iste pax. Audisti, quid egerit adueniens deus
 in uterum uirginis? Audisti quod sit Deus homo fa-
 ctus? Audisti quod cum aliud sit deus, & aliud homo,
 non tamen est alter deus, & alter homo? sed unus est
 dominus meus Iesus Christus, idem & homo; Audi-
 iam nunc quod miraculorum opera egerit, quæ mira-
 bilium acta gesserit, quod magnalium gesta fecerit.
 Audi quas uirtutum operationes patrauerit, quos
 operationum effectus ediderit. Certe hæc quæ audi-
 turus es in gente tua, in genere tuo, in populo tuo, in
 plebe tua, facta cognosce. Quoniam ipse ea qui fecit
 secundum quod homo est, ex traduce tua, ex stirpe
 tua, ex progenic generis tui, in ueritate carnis natu-
 ræ meæ uoluit nasci. Sed uellem planè contra sacrile-
 gium, & perfidiam tuam ueritatis huius negotium
 partis meæ assertionibus intimare, ut ueridico eius
 ueritatis sermone, me coram deo, & angelis eius in
 foro orbis terrarum spectantibus, cunctarum natio-
 nibus gentium meorum testium fidem proponere.
 Sed uideo te fallaci conatu, peruerso astu, infido obie-
 ctu, labanti congressu, deprauato animo, impuro sen-
 su, hyperbatonico eloquio, quod est ex omni parte
 confusio, uelle respondere, & instrumenti noui aucto-
 res nolle recipere, sed auctoritatis uetustæ assertioni-
 bus dimicare. Respondebo, & ego, Si nouis assertori-
 bus

Contra Hebræos. 111 35
 bus ueritatis minime cedis: saltem ipsi per se loquen-
 ti ueritati succumbe. Sed rursus obiecis hæc quæ di-
 xisse ueritatem opponis, nouorum sunt prædicato-
 rum intimata præconijs, & ego dicam. Ut ergo agis
 tempore, non auctoritate, contendis electione, non iu-
 re disceptas, uelle, non ordine, causam narras, dum ue-
 tustatem nouitati proponis, dum noua ueteribus im-
 pugnas, dum ueteribus noua euacuare conaris. Certe
 iste directus initæ disceptationis est ordo, iste actio-
 nis debitæ processus, hoc negotij uerum initium, hic
 disputationis ordinatæ competens modus, ut uetusta
 promissio noua opera compleat, ut umbram ueritas
 excludat, ut incerta & occulta patens exhibitio ma-
 nifestet, & antiquitatis archana noua fides aperiat,
 ut ueternorum secreta credulitas adueniens reuelet,
 ut absconsam materiam religionis nouitas ostendat,
 ut temporū primitiua temporum plenitudo corrobo-
 ret. At nunc quid uetera queris, quia transferunt, &
 ecce facta sunt noua? Quid illorum temporum recor-
 daris propter quæ non sunt? Quoniam facta sunt
 propter nos in quos fines seculorum deueniunt.
 QUID tantum de uaticinijs primæ uis atten-
 dis, cum iam omne uaticinium rei gestæ sit exhibi-
 tione completum? Quid de lege, & prophetis agis
 cum ea quæ usque ad Ioannem dixerunt, in deo Chri-
 sto Iesu nostro esse completa, testentur etiam rerum
 omnium elementa? Quin uerum uideo ideo te nolle
 recipere nouos, quia spreuisti uetustos, ex hoc iura

uitatis impetere, ex quo antiqua uisus es foedare, ex hoc renuere gratiam ex quo impugnaueras legem, ex eo non dare fidem euangelij ex quo dudum contradixeras legali praecepto, ex hoc impugnare Apostolos ex quo impugnaueras, & prophetas. ex hoc non acquiescere doctoribus meis ex quo non acquiuisisti rectoribus tuis, ex hoc propugnare ueritatem, ex quo prophanaueras, & ueritatis promissionem, ex hoc reuelata nescire. Ex quo ad aperta noluisisti cognoscere, ex hoc esse perfidum in temporis plenitudine, ex quo fuisti infidus in futurorum promissione. Sed age nunc, quonam ordine propositionis peruerse hic modus poterit esse iustus, ut ad sequendam ueritatis cognitionem de turba ueridicorum personas eligas, quibus credas, & micans patula ueritatis fulgur intendens, non attendas, quam uenefico ore dirigitur huius actio commoti certaminis, ut me apertiora inditio proferente, tu in tua electione, constituas, quod in mea contradictione defendas? Postremo quater uersatio ista est, ut ego ueritatem proferam, quam tu renuas uidere, & de eiusdem coneris inquisitione contendere? Aut qui nam hic conglobata responsionis est ictus, ut per assertores ueritatem inquiras, & prolatam ueritatem uidere contempnas? Si licet tibi eligere cui credas, ergo eligere liceat, & quod credas. Si licet tibi electione tua uedicare, quod credis, liceat & electionis inuenire auctorem cui credas. Ac per hoc ita iudiciorum regulas rumpis, ut de electione

electione feras libitum non de iusta disceptatione iudicium. Non enim quod debes, sed quod placet dicis. Neque quod inueniat, sed quod operiat ueritatem opponis, dum publica ueritati non credis, & hanc in abditis queris, dum per semetipsam, quid uerum sit de se ueritas clamat, & tu de illa quid uerum se habeat electionis disputatione requiris. Veritas per semetipsam dicit, Ego sum, & tu qui speciem ostendat ueritatis inquisitorem queris? Veritas dicit Ego sum uia, & tu in deuijs uiam quaeris? Veritas dicit Ego sum uita, & tu uitae precones inquiris? Veritas dicit, Qui sitit ueniat, et bibat, & qui sitientem potet abscondis? Veritas dicit Ego à Deo exiui, et ueni in mundum, & tu eligis qui sit ille qui uenire possit in mundum? Veritas dicit Ego & pater unum sumus, & qui me uidet, uidet, & patrem, & tu asseris hunc nec à Deo esse nec huic aequalem existere posse. At uero quia ex defensoribus partis tuae tibi met applaudis, nolo sis anceps. Pro certo autem disce quod quos aduocas mei sunt, quos tibi assumis proximiores mihi sunt, quos tibi addicis & noti mei sunt, & notissimi mihi sunt. Quae enim tibi in tuis auribus suis uocibus indiderunt, cordi meo uirtute intelligentiae impresserunt. Quae tibi sonuerunt mihi cohaeserunt. Quae te sonitu tetigerunt, me tactu illustrauerunt. Sed iam placabilis ego cedam, non uictus ueritate, sed fultus, cum tu infamis cedas non fultus ueritate, sed uictus. Astipulabunt enim testes tui, quae

De laudibus Virginis Mariæ.

assero, firmabunt quæ int' imo, asserent quæ propono.
 stabiliet, quæ contestor, stantent quæ intulero. Fides
 nanque mea illorum est ueritas. Propositio mea illo-
 rum attestatio. Cognitiono mea illorum est testimo-
 nium. Loqui in tempore meum, illorum est sapere in
 æternum. Proponere meum firmare illorum est. Non
 tacuisse meum dixisse eorundem est. Sic lingua mea
 flatus illorum est. Sic eloquium meum spiritus eorū.
 Sic uerbum meum spiraculum est ipsorum, quia uer-
 bum dei, quod per illos uenit in me peruenit, quia sa-
 pientia dei, quæ illos impleuit, me tetigit, quia spiri-
 tus qui illis loqui dedit, mihi audire, et amutiare con-
 cessit. Inde cor illorum, os meum, mos illorū meus ser-
 mo. Inde sermo illorum fides mea, inde fides illorum
 admiratio mea. Inde quod sapiunt dico, inde quod di-
 cunt scio, inde quod sciunt annuntio, & narro, inde
 quod annuntiauerunt enarro. quia uiuit in me, qui
 uiuebat in illis, quia est in me, qui erat in illis, quia
 non tacet in me, qui loquebatur in eis, quia manet
 in me usque in æternum, quinon desijt in illis usque
 adhuc. Omnia quæ habet pater mea sunt, cum ad pa-
 trē de illo dicatur, omnia subieciisti sub pedibus eius.
 Quare non credis filio dicenti ammodo uidebitis fi-
 lium hominis sedentem à dextris uirtutis dei? cum
 pater illi dicat: sede à dextris meis? Quare non cre-
 dis filio dicenti, pater meus usque modo operatur, &
 ego operor, cum pater illi dicat: faciamus hominem
 ad imaginem, & similitudinem nostram? Cur non
 credis

credis filio dicenti, si sciretis patrem meum utiq; me
 sciretis, cum pater dicat filius meus es tu, ego hodie
 genui te? Sed ueni, quo cepimus properemus, quo ire
 conati sumus, ire non desinamus. quo gradi nisi sumus
 auidius impellamur. Quo ceptum est ambulare non
 desinamus ambulasse. Gressus anime pergat, pes pro-
 peret mentis, poples ambulet cordis. Genu uale, cru-
 re stabilire, tibia substa, ne talo concidas, ne planta
 ruas, ne pede labaris. Totus conare, totus expedire,
 totus assurge, propone quod sapiis, dicito quod nosti,
 loquere quod intelligis. quod ruminas propone, quod
 cogitas enarra, quod machinaris expone. Adest ueri-
 tas, hic est ueritas, ecce est ueritas. Præsto sunt, qui
 uera dicūt, præsto sunt, qui uera sapiunt, præsto sunt
 qui uera proponunt, præsto sunt qui uera defendunt.
 Ecce ego pressus cum tu meos prophanes tuis dele-
 ctor auctoribus. Cum tu meis deroges, ego tuorum
 delector assertorum eloquijs. Cum tu meis contra di-
 cas ego tuos obediens, et obtemperans amplector au-
 ctiores. Tanto enim tui mei sunt, quanto tu à meis es
 alienus, Tãto tui iam non sunt tui, quanto nec mei po-
 tuerunt aliquatenus esse tui. quia unum, & unum, &
 ab uno, & per unum sunt tui, simul et mei, dicito ita-
 que tu qui nec ueritati credis, quia nec ueritati fa-
 ues, quia nec ueritati pares, quia nec ueritatem dili-
 gis, quia nec ueritati obedis, cum ueritatem auscula-
 tes, quare summi numinis iussa contemnis? Quare fa-
 ctoris oracula irrita facis? Quare cum sapientiæ ar-




40 De laudibus uirginis Mariae
chanum considerare nequeas, impugnare pertentus.
Quare prudentie dei stulte derogas? Quare uirtu-
ti dei cum ipse sis puluis imbecillitatem adiungis, qui
non credidisti deo patri dicenti ad filium suum Chri-
stum dominum nostrum, Filius meus es tu ego hodie
genui te, quod nulli alteri hominum dixit, quia nulli
hominum alteri dedit hereditatem suam gentes ha-
bere, & in possessionem suam terrae terminos posside-
re, quos reget in uirga ferrea, & quos conteret uelut
uasa lutea figuli, non humani exemplo edicti, sed
proprij iure dominij. Crede eidem filio de se dicenti,
Ego et pater unum sumus, & Qui me uidet, uidet &
patrem, & Omnia quae habet pater mea sunt. Et per
Salomonem eadem sapietia, quae filius dei est. Quan-
do pensabat caelos aderam, quando certa lege, & gy-
ro uallabat abyssos, quando ethera firmabat sursum,
et librabat fontes aquarum, quando circumdabat ma-
ri terminum suum, & legem ponebat aquis ne tran-
sirent fines suos, quando appendebat fundamenta ter-
rae cum eo eram cuncta componens. Qui non credi-
disti filio ueritatem de se dicenti, crede spiritui san-
cto, de quo dicitur, Spiritus domini sup me, propter
quod unxit me euangelizare pauperibus misit me,
& alibi, Requiescet in eo spiritus domini, spiritus sa-
pientie, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudi-
nis, spiritus scientiae, & pietatis, & replebit eum spi-
ritus timoris domini. Hoc enim quod et per Ioannem
dicitur. Et testimonium perhibuit Ioannes dicens.

Vidi

Vidi descendentem quasi columbam de caelo, & mansit
super eum, et ego nesciebam eum. Sed qui misit me
baptizare in aqua ille mihi dixit, super quem uide-
ris spiritum descendentem & manentem super eum,
hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego uidi, &
testimonium perhibui, quia hic est filius dei. Qui non
credidisti singillatim personis deitatis loquentibus,
credito eidem indiuisae trinitati simulq; operanti, si-
mulq; operatrici. Sic enim per Esaiam dicitur. Et
nunc dominus misit me, & spiritus eius. Ecce enim
quod per uirginem nostram dei filius, incarnari ue-
nit, suae operationis nouam admirationem tota trini-
tas ostendit. Tu ergo iam qui non credidisti ueritati
quae summa est ueritas, & quo nihil est uerius, non
erubescas credere assertoribus ueritatis? Nam licet
isti creatura et conditio sint ueritatis illius, quia con-
diti sunt, qui plenam ac summam ueritatem de suo
conditore, atq; ueritate ipsius ueritatis annuntiant,
tamen sicut cum per se contemnitur ita, & per istos
contemnitur, sic cum creditur, et istis creditur, & si-
bi. Nam interdum & iudex per se quidem cum cri-
minoso non contendit, sed per nuntios confessionem
suadendo extorquet. Et non est illi onerosum si non
contemnat nuntium iudicis, qui contempsit prae-
sentiam iudicantis. solum ut obtineat plenitudinem ue-
ritatis, qui tenet iudicium sanctionis. Crede iam er-
go Petro dicenti. Tu es Christus filius Dei uiui, quia
in Daniele rex ille impius hunc aspexit cum dicit. Ecce

ce



ce uideo uiros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis, & speciem quarti similes, filio Dei quem uere hunc esse credimus dominum, & saluatorem. Sed ne obijcias, quod in eodem Daniele iste filius dei superius Angelus nominatur, audi eundem Christum filium dei, qui per Malachiam angelus dicitur. Veniet ad templum sanctum suum dominator quem uos queritis, et Angelus testamenti, quem uos uultis, uel desideratis. Quod quia non est quare dubites? quare non credis etiam Ioanni dicenti. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, et deus erat uerbum, hoc erat in principio apud Deum? cum per Dauid pater de illo dicat. Eructauit cor meum uerbum bonum. Item quare non credis eidem Ioanni dicenti, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, cum eadem sapientia, quæ uere filius dei est, per Salomonem dicat, nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Quare non credis Mattheo de natiuitate eius dicenti. Christi generatio sterat. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Hoc enim est, quod Esaias dixerat. Ecce uirgo in utero accipiet, & uocabitur nomen eius Emanuhel, quod est nobiscum Deus. Erubescere impure, & uide nobiscum esse Deum, qui natus est homo.

Quare

Quare non credis Luca de loco natiuitatis eius dicenti. Ascendit Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eo quod esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, & peperit filium suum primogenitum. Hoc enim est quod Michæas ait. Et tu Bethleem domus es frata nuncquid paruula es in millibus Iudæ? Ecce ex te initium egredietur, qui sit dominator Israel, & egressus eius a diebus æternitatis. Quare Mattheo non credis, de ostensione eius per sydus Magis dicenti, cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis, Ecce Magi ab oriente uenerunt Hierosolymam dicentes. Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in oriente, & uenimus cum muneribus adorare eum, & infra. Videntes stellam Magi gauisi sunt gaudio magno ualde, et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrram. Hoc enim, & Balaam ille diuinus in Numeris intulis dicens. Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel. Magi nanque ab orientis partibus ueniētes natiuitatem Christi, primi stella indice nuntiauerunt, ut quem artis eorum princeps ante tempus prædixerat, cum stella ortu consurgere hominē, illi cum stella uisu nascētem surrexisse hominem de-

mon

44
 monstrarent. Hinc & Esaias, omnes de Saba uenient
 aurum, & thus deferentes, & laudem domino annun-
 tiantes. Quare non credis Ioanni dicenti. Erat lux
 uera, quæ illuminat omnem hominē ueniētem in hunc
 mundum? In mundo erat, et mundus per ipsum factus
 est, et mundus eū non cognouit. Hoc enim est quod, et
 Dauid ait. Apud te est dominus fons uitæ, & in lumi-
 ne tuo uidebimus lumen. Et per Esaiam dicitur. Pro-
 pter hoc enim sciet populus meus nomē meum in die
 illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. qui cum
 Deo patre, & spiritu sancto unus Deus gloriōsior per-
 nunquam finiēda sæcula seculorum, Amen.

Quare non credis eidem Ioanni dicenti, de expro-
 bratione tua. In propria uenit, & sui cum non rece-
 perunt? Hoc enim est, quod per Hieremiam de te di-
 ctum est, Præuaticando præuaticata est in me do-
 mus Iuda ait Dominus, regauerunt me, & dixerunt,
 non est ipse. Quare non credis Marco de miraculis
 operum eius dicenti offerrebant ad eum omnes male
 habentes, & demonia habentes, & erat omnis ciui-
 tas congregata ad ianuam, & curauit multos, qui ue-
 xabantur uarijs languoribus, & demonia multa eij-
 ciebat? Hoc est enim quod Esaias dicit. Ecce dominus
 noster ipse ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur
 oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc sa-
 liet claudus sicut ceruus, & clara erit lingua muto-
 rum. Nam de passione, contumelijs, cruce, clauis, mor-
 te, & sepultura, quid tibi iam loquar cum tu fecisse

te illa non dubites: Quæ si facta sunt, uere quidem
 non leuiter perfidus esses. Cum autem facta nosti, &
 hæc non ad salutem mūdi facta intelligis, sed ad eius,
 ut uideatur tibi ignominiam, talia te fecisse contendis,
 uere grauitur duplici criminis nodo uinciris, quando
 & de homicidio innocentis reus teneris, & hanc mor-
 tem ei crudeliter illatam, ab illo autem sponte susce-
 ptam, ad salutem mundi profecisse non credis. Sed
 quia non diffiteris te impie egisse quæ mecum uni-
 uersitas in redemptorem credit gaudens facta mise-
 ricorditer esse. Audi miraculorum potentiam, quæ
 inter ipsa pœnarum supplicia uidentur exorta. No-
 luisti enim sacrilegis ausibus extorquere sacris uo-
 cibus silētiū, miraculis antra uirtutibus latebram, et
 cunctis operibus eius obliuionis opponere umbrā, sed
 dicente scriptura, Non est sapientia, & non est scien-
 tia, & non est consilium contra deum, dum impugna-
 re uiteris, expugnatus es. Et miro transactionis com-
 mertio, miro certandi congressu, miro contrarieta-
 tis obtentu, miro sibi met repugnantium rerum esse-
 ctu, elicitur, de latebra ueritas, de antro lumen, de te-
 nebris splendor, de ignominia miraculum, de infirmi-
 tate uirtus, de pœna uictoria, de contemptu honor,
 de cruce tropheum, de morte uita, de sepulchro ui-
 uens, de seruitute mortis homo liber, de inferis ui-
 ctor, & quod superest de obliuione testimonium, de
 silentio uox, de extincto, quod nunquam possit extin-
 gui. Vide ergo quæ uidere noluisse attende uiuentia,

Quæ putaueras extincta. Intuere in toto orbe terrarum præclara, quæ suastisti custodum mendatijs esse tegenda. Considera qualiter, & in cælo, & in toto mundo fulgeat cum immensitate miraculorum, & uniuersitate fidelium, cuius nomen noluisti amplius memorare, & respondere, quare non credis Paulo dicenti, tradidi uobis in primis quod & accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quod sepultus est, & quod resurrexit tertia die secundum scripturas, & quod uisus est plusquam quingentibus fratribus simul ex quibus multi permanent usque adhuc. Hoc enim est quod, & idem per Dauid dicit, Caro mea requiescet in spe quoniã non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. De qua resurrectione dicitur, & alibi. Ego dormiui, & resurrexi, quoniam dominus suscitauit me. Quibus dictis non aliud quam dormire, mori, et uigilare, resurgere, est. Item in Esaia. Nunc exurgam dicit dominus, nunc exaltabor, & nunc sublimabor. Vbi aperte hic propheta proponit, qui exurgeret à mortuis exaltaretur in cælo, sublimaretur in regno. Quare non credis uniuersæ Ecclesiæ catholicæ à solis ortu usque ad occasum, & à mari usque ad mare diffusæ uno ore dicenti credimus in Iesum Christum filium dei, qui propter nos, & propter nostram salutem crucifixus, mortuus, et sepultus, tertia die resurrexit à mortuis? Hoc enim est quod, & Osee ex persona sanctorum dixerat,

dixerat, qui cum illo ab inferis tertia die resurrexerunt. Venite, & reuertamur ad dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos. Vinificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius. Item in eodem propheta. Quasi diluculum preparatus est egressus eius. Hoc enim est quod, & Lucas refert. Vna sabbati ualde diluculo uenerunt ad monumentum portantes, quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem sublatum à monumento, et ingressæ non inuenerunt corpus domini Iesu. Quare non credis eidem ueritati de hac resurrectione dicenti, qui resurgendo compleuit, quod in suis periculis Ionas propheta tuus immo potius meus ante promiserat? Generatio praua, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophete. Sicut enim fuit Ionas tribus diebus, & tribus noctibus in uentre cœti, ita erit filius hominis in corde, terræ, id est in sepulchro. Post quod triduum, sicut ille beluam ita sepulchrum iste reliquit. Inde enim solus inter mortuos liber, quia sicut nec peccati contagio, ita nec potuit retineri mortis uinculo. Quare non credis Marco dicenti, Et dominus quidem Iesus postquam locutus est discipulis suis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Hoc enim est quod & Daniel dicit, Aspiciebam in uisu noctis, & ecce in nubibus cœli, quasi filius hominis ueniebat, subiungit, & dicit. Et usque ad antiquum dierum peruenit, id est usque ad patrem. Post hæc infert, Et in conspectu eius

eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & regnum, & omnis populus tribus, & linguae ipsi seruiant. Potestas eius potestas aeterna, quae non aufertur & regnum eius, quod non corrumpetur. Quare non credis ipso donante in eum credentibus, post mortem eius sanctum spiritum datum? Hoc enim est, quod & per Iohannem prophetam dixit. In nouissimis diebus dicit dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, et filiae uestrae. Quare non credis iudicem uenturum Marco dicenti, Tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus caeli, cum uirtute multa, & gloria, & congregabit electos suos? Hoc est quod, & Dauid dicit. Aduocabis caelos sursum, & terram discernere populum suum, Congregate illi sanctos qui ordinent testamentum eius super sacrificia. Et annuntiauerunt caeli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est. Audisti testimonium patris de filio? Audisti testimonium filij de ipso simul et patre. Audisti testimonium de sancto spiritu qui ut huc filium dei esse ostenderet, de quo secundum diuinitatem idem spiritus procedit, descendit in eum corporaliter secundum ueritatem incarnationis ipsius, propter cuius incorporationem haec omnia, & uetustorum, et nouorum praedicatorum locuta sunt ora. Audisti quod lex, & prophetae à Moysse usque ad Zachariam enarrauerunt. Audisti quod à Ioanne filio eius, & deinceps Euangelistae, & Apostoli protulerunt. Audisti quodcunque & primis

&

& nouissimis temporibus per primos, & nouissimos uates uno sancto spiritu per eos cuncta loquente concordant, & absque haesitationis scrupulo in unius rei connexionem redacta ueridice sunt praedicta. Audiam nunc diuersarum conditionum, sexuum, & aetatum, rerum, elementorum insignia, ut si te uaticinantium dicta non mouent eiusdem contemplatio diuersitatis aliquando moueat admiranda. Crede primo ipsi uirgini dicenti, quam euidenter ex persona & natura egressa est, & quid de se uerum dicat ausculta, ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Et utique illa, quae tanto essent admiranda cum uiderentur quanto, et necessario per uisum est, ut ante tot, & per tanta tempora mirabiliter dicta essent, ad redemptionem mundi mirabilius expectanda. Illa utique, ut per hanc uirginem Deus fieret homo, uerbum fieret caro, & filius Dei factor omnium fieret filius matris, quam ipse formauerat, essetque dominator nascendo subditus ancillae quam ipse condiderat, sicque haberet ancilla in subdito dominum, ancillam dominus in prelato, ita factorem suum pareret mater, ita factor in formis materiae rerum natiuitatis suae materiam faceret matrem, atque fieret ex ea, quam fecerat idem factor, & haberet nascendi auatricem, cui faciendae auctor extitit idem. semperque diuersa essent concordantia, semper dum pro humanis humiliantur diuina, & in diuinis subleuantur humana. dum quod sublime est

D cedit

cedit in humile, & humile dirigitur in sublime. dum forte infirmatur in humili, & humile roboratur in forti. dum foeminam aggreditur deus, & profert foemina uirum, dum in utero foemineo non fuit factoris opus operationis solitæ usui, sed statuens admirationem in magnitudine rei, sicut totum fecit ex nihilo ita fecit ex inauditis, hoc solum quod esset in miro. Sic in utero uirginis uteri factor ingressus nouitatis opus efficit, faciens quod ante nõ fecerat, licet faciedum esse prædiceret, ut in admirationem rei remota lege hoc fieret, quod & in se natura factum agnosceret, & inde fieri in se hoc posse negaret, unde nulla concordia usitata rei id fieri posse monstraret, ita homo pareret Deū, ita parturiret terra diuinū, ita uirginitas pareret prolem, ita remota uiro parturiret foemina uirum. Audisti uirginis oraculum, quæ in ueritate tam uere utero carnis concipit & generat, quam uere utero mentis accipit, quod enarrat. Vno enim spiritu ad fidem foecundata est, & ad prolem.

AUDI post hæc maritam natura sterilem, diebus prouectam, moribus illustrem, iustitia plenā, in mandatis eius coram domino incedentem, in iustificatione domini permanentem, inter proximos sine querela persistentem, sacerdotis coniugem, uaticinij certam, mysterijs cognitam, sacramentis imbutam, & sancto spiritu plenam Elisabeth, Cum enim salutasset eam hæc nostra uirgo, ad cuius gloriā hæc pertinent

pertinent quæ narramus, exultauit infans in utero eius, & repleta est spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit uoce magna dicens, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me. Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a domino. Audi deinde senis Symeonis confessionem qui ad exprobrationem infidelitatis tuæ fessorum uetustate senilium artuum resolutionem obtinere non potuit, donec uideret Christum Domini sponse sancti spiritus repromissum, sic enim de eo dicitur. Homo erat in Hierusalem cui nomen Symeon, et homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel, & spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a spiritu sancto non uisurum se mortem nisi prius uideret Christum domini. Et uenit in spiritu in templum, Et cum introducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Audi uetulam quæ erat ex officio prophetissa ex genere præclara, ex tribu familie notissima, primum corpore, ac



52 De laudibus Virginis Marie.
mente uirgo, deinde cum coniuge honesta comitatu
coniugis, non longæua duodecies septies uiduitatis
amositate longissima, templi incola, ieiunijs austerâ,
obsecrationibus opulenta, seruitute Dei diebus, ac no
ctibus occupata, nomine Anna. Nanque & ipsa per
spiritum dei loqui probatur cum de illa dicitur, Et
hec superneniens confitebatur domino, & loqueba
tur de Iesu omnibus qui expectabant redemptionem
Israel. Audi post hæc eum cui cum de se diceret iste
Deus tu credis in filium dei? Respondit ille, et dixit.
Quis est domine ut credam in eum, et dixit ei Iesus,
Et uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At il
le ait, Credo Domine, & prociens adorauit eum.

Crede quoque Martha, quæ cum de resurrectione
fratris dubitaret de filio dei dubitare non potuit,
Cui cum Iesus diceret ego sum resurrectio & uita,
qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet, &
omnis qui uiuit, et credit in me, non morietur in ater
num, atque illam cõtinuo interrogans subiecisset cre
dis hoc? illa respondit. Vtique domine, Ego credidi,
quia tu es Christus filius Dei, qui in hũc mundũ ueni
sti, Sed quid per longa raptor, & me in diuersa di
spergo, dum te singularum testimonius personarum
coniunctis superare contendo. Transgrediar singu
lariter ad stipulatas testium auctiones, quia & suffi
ciunt tantos de talibus tanta, & talia dixisse, licet e
go non explicauerim omnes talium, & tantorum in
numeros innumerabiliter existentes ueridicos testes,
quia

quia tanto nobiliores sunt, & illustres, ut sint & ter
ræ incolatæ foelices, & coeli habitatione sublimes.
Verum audi generale plebis tuæ testimonium audi
uniuersale gentis tuæ consensum cum dicitur. Multi
ergo ex Iudeis, qui uenerant ad Mariam, & uide
rant quæ fecerat Iesus crediderunt in eum, ita ut
dum appropinquaret iam ad descensum montis oliue
ti ceperunt omnes turbæ descendentium gaudentes
laudare Deum uoce magna super omnibus quæ ui
derant uirtutibus, dicentes. Benedictus qui uenit in
nomine domini, pax in terra, & gloria in excelsis.
Ecce uiuorum te coniuinctum testimonium, adhuc mor
tuorum attestacione conuincam. Sic namque de tem
pore mortis eiusdem. Cum emisisset spiritũ, ecce mo
numenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum,
qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monu
mentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam
ciuitatem, & apparuerunt multis. Audisti uiuētium
ora audisti mortuorũ attestaciones. Verum est, quia
audisti, nec te audisse immo nosce certas, & nolle cre
dere poteris pernegare, Sed si testimonium uiuen
tium defunctorum resurgētium attestacione non cre
dis rogo saltem, illi cuius usque huc dominio teneris,
imperio regeris, instinctu uexaris, credas, succum
bas, obedias, & confitenti dæmonio credas, de quo di
citur. Occurrit illi uir, qui habebat dæmonium iam
dæporibus multis, & uestimento non induebatur, neq;
domi manebat, sed in monumentis erat. Ut autem ui



54 De laudibus Virginis Mariæ.
 dit Iesum procidit ante illum, & exclamauit uoce magna, & dixit. Quid mihi, et tibi Iesu filij Dei altissimi, obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut de homine exiret. Multis enim temporibus arripiebat illum, et uinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis uinculis agebatur à demonio in desertum. Interrogauit autem illum Iesus dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit, Legio, quia intrauerant demonia multa in eum. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. Crede oro demonio, crede, ut dū credis quod ille fatetur, euadas quod ipse meretur, dumq; confessioni eius non contradicis operi contradicas, ut in eo quod credideris sicut ille desinas operari quod ille. Sicq; illius arripiebat uocem remoue opus, sic cōdem confitens autorem diuinū seruitutis illius excutias iugum, sicq; habita cōfessione desinas diffiteri, quod illo impegete cogaris pernegare, Hactenus de consinio telluris, de habitatoribus humidæ partis orbis, de comitatu terreno, ex societate hominū, ex humana cognatione, ex hominū narratione, ex humano eloquio, testimonium attuli, testem protuli, attestationem protuli, testimonem detuli, firmam propositum, astipulaui quod dixi, assuecraui quod intendi, reprobauī, quod abiēci, & ueritate pleniori firma monstraui, quæ in audientia de hac fide certus induxi. Iam nunc multo letus multo iocundus, multo elatus, multo plaudens, exornem quæ sunt firmata, uenustem firma, decorem
 solida.

solida. Et situm regione permutans, postquam terrenorum attestacione sufficio, postquam beatorum hominum testificacione redundo, postquam demonum confessione delector, cælos appetam, cœlestiaq; perscrutabor, in cælis perquiram, cœlorum regiones fide, ac mente discurram. Ibi que inueniens defensores propositionis meæ de illa curia cœlestis militiæ adducam, qui fidei meæ prærogatiua conuincant, qui ualidius connectant, quæ ego dixeram, qui fortius alligent, quæ ego proposueram, qui firmiter astringant, quæ ego intuleram, qui æternæ pacis soliditate stabiliant, quæ ego defensionis contentione enarraueram, qui calore eternitatis consolident, quæ ego lassæ sedinis fragilitate tardior, & lentus astruxeram.


Veni sancte Gabrihel edicito nobis exordium rei huius, miraculi initium istius, principium operis huiusmodi. In effectū enim operationis istius primus tu salutas uirginem, prior uirgini tu indicas, anterior uirgini tu annuncias, & de Dei uerbo in cœlis instructus in terris uirgini nouū incarnationis eius opus insinuas. Missus est angelus Gabrihel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad uirginem desponsatam utro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen uirginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena dominus tecū, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui. Quæ cum audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait an

gelus ei. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum, Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum. Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco. Et respondens Angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei.

Ioseph autem uir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. Hec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis dicens, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de spiritu sancto est, Pariet autem filium, et uocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum a peccati eorum in secula seculorum. Amen.

Et pastores erant in regione eadem uigilantes, et custodientes uigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, Et dixit illis Angelus, Nolite timere. Ecce euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie saluator mundi, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Item ibi loquente Angelo ad pastores, Et hoc uobis signum, inuenietis infantem

infantem pannis inuolutum & positum in praesepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militum celestium exercitus laudantium Deum, & dicentium. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Quid de reliquis testimonijs, et obsequijs referam Angelorum cum post testimonium humane patientiæ accedunt angeli, & ministrant eum ut uere domino conditori? Quid quod Angeli resurrectionem eius primi nuntiant territisque sepulchri custodibus non querendum cum mortuis uiuentem fidelibus indicant? Quid quod ascensionem eius Angeli committantur, & reditum eius ita esse sicut & ascensum angeli attestantur, Ecce impleta est terra testibus partis meæ, quia & repletum est simul cælum, & terra ueritate fidei meæ. Ecce testibus partis tuæ affirmari que dixi. Ecce testibus partis meæ roborare que testes dixerunt partis tuæ. Ac proinde tam quos tu assumpseras, quam quos ego protuleram toti facti sunt mei, quia quod proposui de illorum doctrina didici, & inde propositionem meam illorum testificatio subsequuta est, unde cognitio illorum defensionem meam ante præuenit. Quid ergo testatur esse te sine illo, & habere te prorsus nullum, sed esse tibi male conscium solum, dum fidei meæ sinceritas totos habet in unum, quod tu diuidere nittebaris ab uno. Postquam terrenorum, & celestium attestatio defensionem meam contulit munimenta. Postquam in cælo, & in terra uiuentia ueritatem meam roborare reperta sunt. postquam



quam beatitudo terrena, & angelica celsitudo unanimitè affirmavit, quod me ueraciter audientia tua intulisse prouidit, deferam adhuc insensibilium, & non intelligentium elementorum, ac rerum tam diu-
 tissime obedientie sollicitum apparatus, ut in comparatione communi hæc sentiant, ut homo, tu autem, aut dissentias, ut animal, aut nec sentias, ut lapis, sicq; illa sibi tuam rationem extorqueant, ut cum tu illorum obsequium non impetres, insensibilitatem merito feras, confessionem illam suis motibus quasi uocibus clamant, tu autem dum uocibus ueritatem repellis, iam quasi nec motibus sentis. Vide ergo stellam primo natiuitatis exordio nouo profectionis apparatus pronuntiatam exuperare candore cælos, uincere fulgoribus confines syderum, choros adire, ultimas summo lumine terras per ignota Magos præire, deuotissimis regibus hospitium demonstrare nascentis, & toto nisu ostendere, quod solum adorandus iste sit Deus, cui ducatu suo adorantes subdidit reges. Vide primitiua operis eius insignia liquorè aquæ, de qua fit uinum quomodo calorem uersat, saporem mutat, & cum non sit omnino quod fuit, non tamen est aliud de quam unde fuit. Si enim aquam quæras iam non est. Si uinum intendis, dicit ubi exortum est, quia aqua diffusa non est. Quid ergo? quia nec accessit uinum, nec recessit aqua, nisi quod alterum facta est aliud, ut sit ex alio aliud non successionis utec, sed immutationis origine, nec rationis expositione, sed ad-

mirationis

mirationis obtentu. Vide panes, & pisciculos, quæ per sua nequunt, per eorum à quibus sumpta sunt, ora loqui. Et quæ non possunt uirtutem dicere, quam sentiunt, potèntialius exprimere magnitudinem quod crescunt. Etenim extra pastorum saturitatem tot milium quaternum fracta traducunt, complent numerū confinorum, quæ intacta unum complere non poterat confinium. Videmus ficulneam, tam cursim oblitam esse quod fuit, quam raptim amisisse etiam, & quod uixit, ne sustinere senio uiro rem amittere, nisi ut uirentem uitam quam totius amisset.

Vide mare cuius unda si uerteretur in linguam utique quod murmurat promeret, sed quod nescit quid diceret, nec quod fecit se scire conuincit, dum uefugium sustinet dominantis, obruit famulantis, labès sub corpore famuli, saxea sub pondere domini. Ad unum imperium duas deferens seruitutes, quando, & conditoris planta robuste durefcit, & adhuc obsequentem sustinet, quem sustinere trepidum recusauit. Vide rursus ipsum mare, quod cum suis motibus intumesceret, & feroces sonitus incaribidum molestias spumofum colideret nauiculam, quam superbo tergo resiliens fatigarat, quomodo ad iubentis imperium tam raptim lenitudinem sumit, & nauiculæ admirantes incolæ dicant. Quis es iste, quia & uenti, & mare obediūt ei. Item ipsius ponti considera indigenas, quomodo quasi notissima discipulorum uota refugiant, ac sese capiendos denegant incaptura, & ad-

nolunt



uoluntatem opificis, ita rete coacernati implent, ut
 in abstrahendo se oneris tedium trahendo fiat. Vide
 languorum diuersitates, & percusis feruorem reti-
 nere non posse recursus, sed ad presentiam saluatoris
 ingens languetium turba sanatur. Vide sepultos at-
 que sepulchra intra se ita sepelliendi rescindere foe-
 dus, ut ethereos hospites admota citatim momumeta
 refundant, ueluti si uideas pauentia restituere susce-
 ptos, quasi tenuissent coactos, quos uolenter suscepe-
 rant seruandos. Vide diem tenebrarum attacku to-
 gam deponere lucis, & inuiso conatu tam raptim ac-
 quississe, quod fordiut, quam cursim amississe quod lu-
 xit. Vide solem adhuc profusus amississe, quod ex gau-
 dio claruit, ut pallenti lumine induceret ex micore,
 quod luxit, cuni soluta luminosi foederis fibula ful-
 uam repellens claritatis insolubilis pallam, se in il-
 lius diei angulo horrois innoxum diploide conglou-
 bavit. Vide arua sue soliditatis stabilitatem re-
 nuentia, quati tremore, & patida, & ignotas lapsa
 in ruinas, nec sicula telluris exemplo subruui per mo-
 menta, sed unius tantum diei mutatione uexari, quo-
 niam illam receptus simi terrarum spiritus uexat.
 Hanc uero gloria crucifixi conturbat. Vides saxa
 ponderis duritiam fugientia, quoniam scissurarum
 penetratu soluantur, dum resolutioni duritia cedit,
 & soliditas distipationi succumbit, attestantia cui sit
 potentie, quem in se continuo recipiunt sepeliendum,
 quanto fissuris sue confusiois sic honorant tremen-

pid iam defunctu. Animaduerte iam nunc et lapideu
 pectus tuum exempla lapidum findant, et uide, quia
 hec omnia non aliud suis motibus, suis mutationibus,
 suis conatibus profitentur, quam quod tu solus haud
 incertu diffiteri conaris. No est ex hac ueritate pro-
 certo quod dubites, non est quod hinc uerearis, non
 est ubi impingas, no est ubi offendas, non est ubi ober-
 res, non est ubi sis anceps, non est ubi nutans, non est
 ubi titubans, no est ubi trepidans, non ubi ambigens,
 non ubi dubius, non ubi incertus, non ubi animo clau-
 dicans, non ubi sis fide labens. Omnia uera sunt, om-
 nia iusta sunt, omnia sancta sunt, omnia sacra sunt, om-
 nia indubitata sunt, omnia fidelia sunt, omnia fixa,
 omnia stabilia, omnia confirmata, in seculum seculi,
 facta in ueritate, & equitate, que de his sacra lite-
 ra cecinerunt, que sacra pagine eloquunt sunt, que
 sacri apices annotarunt, que lex sacratissima pro-
 mulgavit, que sacra testamenta precipiunt, que li-
 bri sacratissimi continent, que sacra missa decernunt,
 que celestia iura constituunt, que celo, & terra
 transeuntibus sua eternitate no transeunt, que tran-
 seuntibus etiam elementis transire nequeunt, donec
 omnia impleant.

Deuictis hostibus, elisis aduersarijs, extinctis am-
 lis, attritis inimicis, prostratis insultantibus, deiectis
 inuidis, omnibus potentie diuine uirtutis contradi-
 centibus expugnatis, pio desiderio querulus, bono ap-
 petitu audis, letus, & anhelus grata delectatione

promptissimus quo potuero, quo ualuerō, quo uide-
 ro, quo suffecero, iutendam, nitar, exsequar, coner in
 hoc sacramento defigere uisum, in hac admiratione
 uirtutum oculos imprimere hœbetes, in hoc archano
 secreti auidum figere sensum, ad hoc cœlestis gloriæ
 lumen dirigere caligatis aciem uisionis. Sed qualiter
 præsumam, quomodo aggrediar, quo nisu properem,
 quali conatu impetam, pollutus labijs, immundo ore,
 impurus lingua, squalens uerbis, corde prauus, mente
 iniquus, factis impius, ut de uirginitatis gloria cor-
 ruptio differat, de incorruptionis laude immunditia
 tractet, de pudore impudèratus enuntiet, de uerecun-
 diæ bono inuerecundus enarret. At nunc quia, ut sal-
 uer, ut munder, ut iustificer, ut sanctificer, uenit ad
 humana Deus, ad terrena cœlestia, conuenerunt, ad
 infirma fortia descenderunt, temporalibus æterna
 coniuncta sunt, imbecillis robusta, exinanita conserta
 sunt, seruilibus dominica copulata sunt, plenus beata
 fide saluandus indulgentia copiosa, iustificandus pie-
 tate multa, uiuificandus miseratione diuina, expian-
 dus ab omni iniquitate praua, defestis gaudiorum an-
 geli, de letitia iocunditatis eius, de redemptione mea,
 de salute mea, de uita mea loquar Angelo, suscitabor.
 Angelum, interrogabo Angelum, affabor Angelum.
 Dicito mihi res amica Deo, & cunctis contempla-
 tione uicinior. effare in creaturis res anterior, enar-
 ra creaturarum res potèrior, exordire creatura post-
 firmamentum, casus nescia magna in conditione tua.

Non

Non tua te gloria munio, non magna extenuo, non
 æternum attero, non sublimi detraho, non petenti ori
 resulto, quia nec tuam stabilitatem, sed tuam loquor
 conditionem. Fide prouocor, amore impellor, admira-
 tione delector, gaudeo, letor, miserationis gratia
 præuenior, misericordia gratissima subsequor. Tu
 sancte Angele, qui mitteris ad uirginem Israel, qui
 uenis ad matrem domini, qui properas salutare uir-
 gineum decus in mundo, enarra, quid incorruptius
 quid sincerius, quid integrius, quid solidius, inter uir-
 ginitatem maternam, et conditionem Angelicam, in-
 ter uirginem fecunditatem, & Angelicam forma-
 tionem, inter incorruptibile uirginem decus, & An-
 gelorum exordium, inter pudorem prole peractū,
 & Angelicæ nobilitatis initium, uirginitas, quæ fœ-
 cundatur, & non corrumpitur, an Angelica celsitu-
 do, cuius pars ruina prosternitur decus uirginem,
 quod & post partum nitet, an nobilitas Angelica,
 quæ post gloriam culminis damna sustentat in socijs
 integritas materna, quæ & post foetum prolis accre-
 sit in gloria uirginis, an conditio Angelica, quæ de-
 trimentis lesa est in subiectis, beatitudo matris, quæ
 inde fit generatio dei unde nescia corruptionis est
 sibi Angelica plebs, quæ ante solitudinem incurrit
 diminutionem partis multitudinis suæ. Certum
 est, quod Angelorum cæstra superbia rupit, cuneos
 eorum præsumptio minorauit, plebes ipsorum prau-
 itas diminuit, turmas ipsorum elatio collisit. Nam uir-
 ginitate



64 De laudibus Virginis Mariæ

ginitate Domine mee genita proles, nec introiens,
nec exiens la sit, nec concepta, nec nata uiolauit. Nec
eam cum hospitaretur in illa tristauit, nec illam cum
aggrederetur in corruptione priuauit.

Hanc foeminam conceptio uirginem reddit, hanc
foeminam partus uirginis seruat, hanc foeminam ge-
neratio uirginem habet. Hanc foemina filius ita post
exitum nouit, sicut ante conceptum inuenit. Et huius
certe uirginitas semper incorrupta, semper integra,
semper illaesa. Nam Angelica forma nature ante so-
liditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante sta-
bilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans.
Hæc foemina sanctificationis uas est, æternitas uirgi-
nitatis est mater Dei, est sacrarium spiritus sancti, est
templum singulariter unicium factoris sui. Veruntæ-
men beata conditio creaturae post stabilitatem inde-
ficiens in amore diuinitatis, post firmamentum peren-
nis in aspectu dominicæ uisionis, post robur insepara-
bilis à consortio Deitatis. Ex qua lucis immensitate
tu sancte Gabriel uenis ad uirginem, ex qua æter-
nitate accedis ad tempora, ex qua gloria properas
ad humana. Omne tamen quod agis, quod de caelo ue-
nis, quod ad terram uenis, quod de Deo uenis, quod
ad uirginem uenis, quod uirginem salutas, quod no-
uam generationem annuntias incarnando uerbo obedis,
ideo hominem assumpturo pares generando ex uirgi-
ne, seruis filio ancille in serui forma nascituro, famu-
laris, quoniam iste incarnandus Deus factor tuus est,
iste

iste, homo simul & Deus creator tuus est, iste filius
ancille suæ dominus tuus est. Iste quem in abiectio-
ne serui nasciturum annuntias gloria patris dominator
est tui. Et tanta natiuitatis gloria dignum erat, ut An-
gelus nuntiaret, tate dignitatis oraculis oportunitum
erat ut angelus inseruiret, tate nouæ generationis o-
pus conueniebat, ut angelus indicaret, tati secreta mi-
raculi cõpetebat, ut Angelus refereret. Ita quoq; de-
corum fuit, ut humilitatem dei Angelica sublimitas
enarraret, ita competens, ut in forma serui rerum do-
minum nasciturum inseruiens dominatio cœlestis edi-
ceret, ita dignum, ut nouam generationem nouo offi-
cio maiestatis angelica dignitas intimaret, ita æquum,
ut ineffabilis, causa miraculi, quomodo fieret Angeli-
ca cognitio demonstraret, ita iustissimum, ut nouo ad-
uentu principem egressurum nouo apparatu, &
tam summa cœlestium ante iret. Si domini tui nun-
tius eras directus à domino tuo, si ueneras, si mistio-
nis dominicæ iussa perficiebas, si sane ordinationis re-
giæ decreta complebas, ut uere quod in cœlis de pa-
tris uerbo cognoueras matri de incarnando uerbo re-
ferres, & quomodo se filius nasci uellet ex homine si-
mul, & auribus induceres hominis, & carnibus infer-
res humanis, tu Angelus de uerbo didiceras, quæ de
uerbo referebas, de uerbo cognoueras, quæ cognoscen-
da de uerbo narras, de uerbo hauseras, quibus, & fo-
tandam uirginem propinabas, ut qualiter ex carne
matris incarnari posset, matris animæ nuntiares. Vi-

derunt te cœlestes uirtutes nuntiandi filij imperij deseruire, uidere elementa illum te habere dominum quem de tali nuntiabas progenie nasciturum. Viderunt socij gloriæ tuæ se etiam tecum coram isto homine incuruari. Viderunt omnes excelsorum, & sublimium spirituum potestates hunc in deum assumptum hominem, & antiquæ seruitutis officium nouis præconijs intulerunt, quando est acclamatum, gloriâ in excelsis isti humili Deo, & in terra pax hominibus in hunc deum humilem bona uoluntate credentibus. Ipse te misit, ut diceres uirgini, quid esse deberet, qui quod futurum esset nosse dederat tibi. Ipse te suæ diuinitati scientia perlustrauit, qui suæ humanitatis nuntiū fecit. Ipse te nuntiare in serui forma nasciturum miserat, quæ gloriâ tua in unitate paternæ ueritatis adorabat. Ipse te palâ referre mādauerat, qui te cœlestium secretorum archanis instruxerat.

BENE tecum, quia diminutionis partis tuæ redintegrationē annuntias; bene mihi, quia me in tua integritate te nuntiâte receperas. Bene tecum, quia ruinæ partis Angelicæ hominibus reparantur. bene mihi, quia in tuæ integritatis partem reducor. Bene tecum, quia in pace tua homines recipis, bene tecum, quia pacem, quam non merebar accepi. Bene tecum, quia uerbum incarnatum, bene tecum, quia naturæ meæ est illa ueritas, quem adoras. Bene habemus sanctæ Angele unum titulum dominantis. Bene quia dicitur noster, participem me tibi fieri in aternitate pollicitus

licitus est. bene promisit mihi tecum habere cœlum, quia me sicut te se uoluit solum habere Deum. Bene me sui nominis impressione notauit quia ex illius corporis sanguine me redemit, quem tu in sede patris adoras intueris & ueneraris. Pars sortis tuæ est, ut nunquam ab statu beatitudinis corruas, pars sortis meæ, ut post casum meum reparer in assumptione corporis domini mei. Pars sortis est tuæ ut semper cum Deo meo esses, pars sortis est meæ, ut aliquando possem cum domino meo esse. Pars sortis tuæ est, ut nunquam decidas a naturæ tuæ beatitudine, pars sortis meæ, ut reparer aliquando indignitatem naturæ meæ. Pars sortis tuæ est adorare naturam meam in Deo meo, pars sortis meæ est saluari per hoc, quod natura mea assumpta est in Deo meo.

Planè hæc quæ narro, certe hæc quæ ago, prorsus hæc quæ loquor, uere hæc quæ intimo, uera sunt, iusta sunt, pia sunt, cœlesti intelligentia plena manebunt, quia plena consistunt. Non enim mea sunt, non ex me sunt, non ex natura mea sunt, non ex conditione mea sunt, non ex merito meo sunt. Ego enim cinis sum, ego terra, ego corruptio, ego putredo, ego esca uermis, ego exoptate impos aternitatis, sed non euadendæ consors mortalitatis, cuius habitatio effossa tellus, cuius requies tumulus, cuius domus sepulchrū, cuius mansio monumentum. Hæc à patre qui in cœlis est reuelata sunt mihi, & à filio eius qui est sapientia ipsius didici, & spiritu docente cognoui. Hæc de cœ-

lo uenerunt, quia dona optima sunt. Hæc à patre lu-
minum descenderunt, quia ueritatis in eis transmuta-
tio non est. Ista enim in terris tecum noui, quæ ipse
nosti mecū in caelis. Ista ego in peregrinationis meo
loco didici, quæ tu in tuæ beatitudinis æternitate iā
nosti. Ista ego in fidei ueritate percepi, quæ tu in tuæ
uisionis plenitudine cognouisti, quia hæc tu mihi de
celo ueniens indicasti, dum officia seruitutis agis in
enuntiatione assumenda humanitatis. Hæc attestati
sunt Angeli dum natiuitatem hominis huius celestis
bus prosequuti sunt hymnis, clamantes, Gloria in ex-
celsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.
Hæc demonstrauerunt Angeli, qui deuicta hostis
tentatione accesserunt, & ministrabant ei. Hæc osten-
derunt Angeli, cum admirantes nouum hominem se-
dem conscendere deitatis uocibus imperabant alter-
nis. Tollite portas principes uestras, & eleuamini
porta æternales, & introibit rex gloriæ. Responden-
tibusq; Quis est iste rex gloriæ? sequenti responso-
ne firmatum est, Dominus uirtutum ipse est rex glo-
riæ. Hæc Dauid prophetabat qui ait. Adorent eum
oēs Angeli Dei. Hæc idem instituit cum dicit. Lau-
date eum omnes Angeli eius. Hæc Esaias infert cum
Cherubim, & Seraphim in huius laudis exultatione
commotos indefinenter clamare testatur, Sanctus,
Sanctus, Sanctus, ut ter repetitum sanctum de insepa-
rabili trinitate unum Deum Sabbaoth esse demon-
stret. Hæc Ioannes astruit cum animalia cæli enarra-
rat

rat requiem non habere dicentia eundem ipsum coele-
stis gloriæ hymnum. Hæc assignat cum dicit. Vidi, et
audiui uoces Angelorum multorum in circuitu thro-
ni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eor-
um milia milium dicentium uoce magna. Dignus est
agnus, qui occisus est accipere uirtutem, & diuinita-
tem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, &
gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam,
quæ in celo, & quæ in terra, & quæ sunt in mari, et
quæ in eo omnes audiui dicentes, sedenti in throno, et
agno Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in
secula seculorum amen. Hæc Paulus in Epistola ad
Hebræos copiose proponit, confirmat, atque conclu-
dit. Hæc ipse homo in quo plenitudo diuinitatis cor-
poraliter habitat, complet, cum in aduentu secundo
commoueri uirtutes cælorum dicit, & tunc se uideri
in gloria patris Dei cum Angelis suis. Ecce non so-
lum, quod seruiunt Angeli domino meo filio ancillæ
sue, uirginis nostræ, cælesti doctrina didici, uerum,
& eorum officia in experimento seruitutis uerius
percognoui. Nam tu ipse Gabriel, qui diceris forti-
tudo Dei uenisti ad uirginem nuntiare hominem na-
sciturum, qui simul potestates aeriæ, & principem
uinceret mundi. Item & Angeli pastoribus nuntiant
natum, quem tu uirgini prædixeras nasciturum. Isti
quoque glorificant ut Deum, de quo tu dixeris uoca-
bitur filius Dei. Ecce hunc glorificant Angeli, ecce
hunc adorant Angeli, ecce hunc laudant Archangeli,
E z ecce



De laudibus uirginis Mariae

ecce ministrant Angeli, ecce hunc sedem conscendere
deitatis personant Angeli, Ecce in eius iubilo sibi re
quiem dare nesciunt Angeli, ecce in seruitutis eius fa
mulatu properantes cognouimus Angelos, & com
moueri uirtutes caelorum audiuiimus, Nam & opti
mum certe est tam excelsus, & aeterno Deo tam humi
liter, ac temporaliter ex uirgine genito, & dignita
tis Angelicae gloriam inseruire. Quare? quia ille in
utraque natiuitate incomprehensibiliter, & inenar
rabiliter natus, Angelica autem uniuersitas eius aeternitate
praeventa, & eius operatione formata, De illo
dicitur, Generationem eius qui enarrabit? Quis, &
in salutatione tua haec ipsa uirgo miratur, quae uer
bo tuo uirginea mater astruitur, & tu ipse sciscitan
ti eidem uirgini, quomodo fieret, generationem eius
annuntias inauditam. De te autem dicitur. Dixit Deus,
Fiat lux & facta est, naturae tuae cunctis creaturis, et
anterior, & praestantior lux. Illi dictum est, Filius
meus es tu, ego hodie genui te. Quod nulli unquam
Angelorum est dictum. De uniuersitate autem crea
turarum dictum est omnia subiecisti sub pedibus eius.
Inter quae omnia substantia illi inuenitur Angelica
esse subiecta. De illo dictum est sede a dextris meis,
quod Angelis dictum non est, de his autem, quia sint
facti dictum est, qui facit Angelos suos spiritus, &
ministros tuos ignem urentem. De illo dictum est se
des tua Deus in saeculum saeculi, de his autem dictum
est, quia coram illo astitit omnis exercitus Angelorum

cum

Contra Hebraeos.

72

cum tremore. Sed ut uirginitatis huius domine meae
gloriam auctiori triumpho, excellentiori praeconio,
fidei conatu, & sincerissimo uoto, amabilique appe
titu, cum caelestibus iubilem uirtutibus perituris pro
feram hostibus, amantibus referam fratribus, cogni
turis praedicem ignaris, delectandis commendem co
gnitis, adhuc nos se desidero, scire uolo, sapere cupio,
certificari exopto, instrui exoro, doceri quaero, quid
est quod hoc dicitur generatione eius quis enarrabit?
Si de natiuitate diuinitatis eius hoc dicitur, quod &
utique uerum est, qui propter eam, sed non solum pro
pter eam dicitur ecce ista natiuitas Deitatis hoc tan
tum est, quod de Deo natus est Deus, de ore Dei uer
bum Deus, de lumine Deo lumen Deus, de substantia
Dei, uirtus Dei, & haec omnia unus Deus, qui uiuit,
& regnat cum Deo patre in unitate spiritus sancti
Deus per omnia saecula saeculorum amen. Item si de
natiuitate humanitatis eius hoc dictum est, qui certe
uerum est, quia, & propter hoc dictum est.

Quae est generatio filij huius quae tam admiran
ter inenarrabilis praedicatur, nisi conceptio incorru
pta, nisi uirginitas pariens, nisi uirgineus partus,
nisi uirginitas materna, nisi uirginitas uirginalis. Et
haec omnia uirginis setae incorruptae matris, puerpe
rae, integrae, inuiolatae, genitricis, illesae generantis,
in qua sic diuersitas concordauit, sic accidentia coha
serunt, sic multimoda copulata sunt, sic concurrentia
inmodata, ut duabus quidem inuistatis rebus, aeterna

E 4 tamen

tamen lege discretis, & admirabili unitate connexis, in sola uirgine fieret, hæc tantundem uere generatio inenarrabilis solius huius tantummodo unica prolis. Sed ait uirgo. Quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco? respondit Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea, quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei. Extra hanc matrem esse uirginem usus non est. Hoc autem, uirginem esse uirginem usus est. Post uirginem esse matrem usus est. Esse incorruptam feminam usus est. Post corruptionem esse genitricem usus est. Habere genitalium pudorem usus est. Post genitalium pudorem habere prolem usus est. Quæ tanto à se æterna nature lege discordant, ut nunquam tunc mater quando uirgo, nunquam tunc uirgo quando mater, nunquam uirgo pariat, nunquam mater uirginitate clarescat, unum tempus nunquam teneat uirginem simul & matrem, una femina nunquam uirginitate simul & prole congaudeat. Inde talis generatio non in signo id ipsum enim naturale est, corruptibile est, mortale est, interdum turpiter amabile est, interdum honeste odibile est, interdum iuste amandum, interdum iuste odiedum est. In hac autem uirgine sic istius filius Dei inenarrabilis generatio copulauit utrumque, ut uirginem se habeat mater, matrem se habeat uirgo, uirgo mater habeat prolem, uirginem admiretur puer per aconiux integritas, quanquam conceptioni adhereat pudor, conceptionem sepiat uirginitas,

mitas, conceptum claudat sicque uirginitatem natiuitas conscindat, sic pudorem egressio non deturpet, sic generatio integritatem non adimat, sic ueritas paratus, ueritatem uirginem non extinguat. Tam mirabiliter ergo concordantibus in una persona simul & tempore diuersitatibus rerum, ut hæc eadem sit mater, quæ & uirgo, ipsa uirgo, quæ et mater, nunquam mater nisi quando & uirgo, & postquam mater non bilior uirgo. acta est hæc sola inenarrabilis generatio, quam ideo admirabilem æstimo, quia non illic aliam rationem, quia id ipsum factum sit, quæ reuelari nequeat latere persentio, sed id tantum esse, quia factum est, quod signum est, quod mirum est, quod inauditum est, quod uere admiratione sui inenarrabile etiam narrado incognitum non est. Si enim esset, quod lateret, & tamen id ipsum non aliud, quam rationis cognitio esset, posset quidem res, quilibet rationis capax de eo quædam, aut indignatione percipere, aut sagacitate inuenire, aut adinventionem colligere, aut collectione tractare, aut tractatum meditari, aut meditatione definire, aut diffinitione tenere, aut retentione proferre, aut probatione firmare. Cum uero nihil horum, nihil tale, nihil ex toto, nihil ex parte in hac re puto, uel Angelos, uel homines aliter, uel amplius nosse, quam quod ipso didicimus Angelo nuntiante, puto nec ipsum Angelum aliud cognoscere ualuisse, quam quod ipse intulit hominibus nuntiare. In tanto etenim mysterio prece ueritatis, nec aliud, quam

quàm quod ipse sapuit, nec amplius, quàm quod ipse
cognouit, potuit nuntiare. Quæ tamen nuntiavit &
nobis, & cum uirgine audire fecit, & nos quoniam,
nec aliter alibi nisi in uirgine, & cum uirgine hæc
nos conuincimus didicisse. Si ergo illa uirgo, quæ mi-
raculo huic & materia extitit, & causa plenitudinis
fuit hoc solum ab Angelo didicit, quod ad effectum
nuntiatæ rei sufficere posset, non plus Angelus sa-
puit, quàm quod dixit, quia quantum dixit tantum
conceptionem, & partum uirginis adimpleuit. Tan-
tum uirgo, & de conceptu, & parturitione sua Ange-
lo salutante didicit, quantum me Angelus euidentiã
rei huius instruxit. Si autem plus sapuit Angelus,
quàm quod dixit quomodo ad plenitudinem partus
sui sufficit uirgini, quod mecum audiuit. Mecum dico
audiuit, quia post hunc nuntium partus sui & redem-
ptionis meæ nouum de hac re nihil audiuit. Si plus
sapuit quàm quod dixit, quomodo semi plena dicta
coelestium uirtutum, & omnium elementorum atte-
statione completa compleri magis potuerunt? Restat
ergo tantum me de hoc miraculo nosse (Angelus di-
xit) quia quantum sapuit tantum dixit, & tantum di-
xit quantum uirginem generare fecit. Quantum au-
tem uirginem generare fecit, tantum fides in ea cum
uirgine ipsa cognouit. Ita si iuxta assumptionem
humanitatis hæc inenarrabilis generatio huius pro-
lis, id ipsum est, quod solius matris eius incorruptio
singularis, bene angelicæ creationi, quæ labi potuit
præ-

præfero integritatem uirginis huius, quæ nascentis
exitu interrumpi non potuit. Bene Angelicæ condi-
tioni, quæ diminui potuit præfero pudorẽ, qui exor-
dio geniti frustrari non potuit. Bene Angelorum sta-
tui quantum potero præferam uirginitatem mirabi-
liter singularem, quàm natiuitas filij Dei tanto au-
ctam gloria incorruptionis reliquit, quanto singula-
rem singulariter glorificans assumptum ex illa, &
fedi patris inuexit, & omnem beatitudinem Angeli-
cæ formæ eius dominio subiugauit, in cuius excel-
se solemnitate ascensionis cum Deus assumptam car-
nem paterna collocauit in sede, ita natura mea Ange-
licam reperit pacem, ita consortium recepit Angelo-
rum, ita honorem se adeptam esse intelligit Angeli-
cum, ita abiectionem qua contemptibilis erat ange-
lorũ prætulit potestati, ut hæc natura quæ in Abra-
ham Angelum adorauit, et prohibita non est, in Ioan-
ne adorare uolens sit prohibita adorare, quoniam in
Abraham licet ex eius semine in Christo diceretur
assumenda nondum tamen in eodem Christo erat as-
sumpta, ideoque hunc Angeli contemptibilem habe-
bant, quia assumptionem eius nondum illæ suæ unio-
ni coniunxerat. In Ioanne autem ideo hanc naturam
se adorare Angeli prohibent, quoniam super se illam
in sede maiestatis adorauit. Ideo hanc in subditis non
contemnuunt, quia eam super se in sede gloriæ contem-
plantur. Ideo hanc in subditis contemptibilem non de-
spiciunt, quia eã unitam diuinæ personæ cognoscunt.



De laudibus Virginiſ Mariæ.

Et ideo honorabiliorem ſe incorruptionem maternæ uirginitatis habent, quia fructum eius ſuper ſe, & admiranter aſpiciunt, et humiliter intuentur. Grati laudant, ſeruietes adorant. Perennes tubilant, ſubiecti celebrant. Beati uident, acclines adorant, Nihil puto ratiocinandum, latet nihil, perſcrutandum euafit, nihil perquirendum erupit, nihil inueſtigandum exceſſit, nihil incognitum abiit, quia quantam au-
diuimus rem, tantam impletam ſcimus. Quantum au-
diuimus rei, tantum effectum penſamus. Quanto au-
diuimus, tanto hanc generationem fieri cognoſcimus.
Quanto audiuimus de Angelo, tanto ad, redemptionem noſtram uirginali completum eſſe uidemus ex utero. Verum ut rei huius magnitudo ſe ſuper Angelos euidenter attollat, ut ſolius matris huius incorruptio in ſingulari ſigno ſingulariter prædicanda Angelorū excelsa trãſcendat, ut incorruptæ uirgini ſit eius filij incorrupta generatio, nobilior nobilitate Angelorū, poſtremo ut nihil ſimile habens in omni rerum formatione angelorū pulchritudini, magnitudine admirãda conſtet, conſidera mecū creaturam rerū, contemplare formam creaturarū, intuere conditiones diuerſas, et conditorē uniuerſarū, dicente Ioanne. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factū eſt nihil. Vide que fecit omnia, que uiſibilia, & inuiſibilia, eſſe et ſubſiſtere, cernis reuerentiã eius habere ſeruitutis, & ſubiectiõnem debitæ tenere conditionis?

Nam ſi de terrenis & mari, atq; omnibus, que in

eis ſunt proponatur, audiãt cūcta ipſam domini uocē cū ſui iuris uigorē uniuerſo homini cõferentē, Dominamini piſcibus maris, et uolatilibus cœli, et uniuerſis animantibus, que mouëtur ſuper terrã. Si de ipſo homine audiãt, et ipſe, Reges terre ſeruite dominecū timore, et exultate ei cū tremore. Si de cœlis, et que ſunt in eis, audiãt, Laudauerunt te domine oēs Angeli tui, et hymnū dixerunt dū perficeres fabricam cœli. Itē beatus cuius eſt deus adiutor ſpes eius in eo qui ſecit cœlū, et terram, mare et oĩa que in eis ſunt. Si de angelis audiãt, que Paulus memorat, qui cū introduceret primogenitū in orbē terrarū, ſic dicit. Adorēt eum oēs angeli eius. Verū, et cūcta quaſi ſuæ cõditionis cõpede generali dicto perſtringã, audiãt uniuerſa ſub uno. Magnus es deus, et præclarus uirtute inſuperabilis, tibi ſeruiet omnis creatura tua. Quoniã dixiſti, et facta ſunt, miſiſti ſpiritū tuū, et creata ſunt. Si igitur cūcta que facta ſunt ſeruiūt, reſtat nihil eſſe factori æquale, quia quod nõ ſeruiat non eſt. Si autē eſt quod nõ ſeruiat, nihil eſt, quia factū non eſt. Proinde aut erit aliquod factum et ſeruiens eſt, aut erit nihil, quia qđ non ſeruiat factū non eſt. Si ergo ut uerū eſt cūcta que facta ſunt, ſeruitutis debitum retinent æternæ poteſtatis illius dominiū non admittunt. Tãto autē maiẽſtati eius cedunt, q̄to, et excellẽtiæ proſus ædequari nõ poterunt, atq; ideo cū cuncta ſeruiūt illi, et incorruptionis huius fructus in uniuerſitatē dominatus aſſumitur, cui omnia obſequūtur. iſti tantum

generationi dominator admiscetur cui uniuersa famulentur, huic soli integritati dominus adunatur, quia ex omnibus creaturis hoc tantum in persona fit cum Domino, unum hoc in unitate creatoris assumptum, hoc in unione dominantis innexum, usque adeo, ut assumens Deus dicatur filius hominis, ut assumptus homo dicatur filius Dei, non confusis naturarum proprietatibus, sed ita in personarum unitate connexis, ut ex assumpto, et assumente nullum distet ab alio, et assumptum nullum deprimatur ab alio.

terro, per nunquam

finienda se-

cula

seculorum.

Amen.

INCIPIT PROLOGVS

AD GOTHISCALCV M
EPISCOPV M.



EGO quidem Gomesanus licet indignus, presbyterij tamen ordine functus in finibus pampyloniæ, abbas Ildensis marchisterij in antro sacro ferente reliquias sancti, ac beatissimi Martini Episcopi regulariter degens sub regimine patris almi uidelicet Dulquitti abbatis, inter agmina Christi seruorum ducentorum ferè monachorum compulsus a Gothiscalco Episcopo, qui gratia orandi egressus à partibus Aquitaniæ deuotione promptissima magno comitatu fultus ad finem Galitiæ pergebat concitus, Dei misericordiam sanctiq; Iacobi Apostoli suffragium humiliter imploraturus, libenter conscripsi libellum à beato Hildeonso Toletana sedis Episcopo dudum luculentissime editum, in quo continetur de laude uirginitatis sanctæ Mariæ perpetuæ uirginis Iesu Christi Domini nostri genitricis, ubi prædictus Hildeonsus Episcopus diuino spiramine afflatus oraculis prophetarum imbutus, euangeliorum testimonij roboratus. Apostolorum documentis instructus, cœlestium simul, et terrenorum contestatione firmatus gladio, uerbi Dei armatus, Iouiniiani perfidians

diam uulnerauit, & pugione uerissime rationis Hel-
 uidij errorem destruxit, iudaorum quoque duritiam
 non solum astipulatione angelorum, & hominū, sed
 etiam demonum prolata confessione iugulauit. Iam
 uero quā dulcia quanque diuino munere cōpta prō-
 sperit eloquia, quisquis in hoc libello solerter legerit
 facile prouidebit. Ex quo & credulus hauriet suau-
 tatem, & anceps reperiet unde à se procul repellat
 erroris prauitatem. Vnde æstimo incunctanter ut pa-
 ri gloria ditetur à Christo pontifex Gothifcalcus,
 qui hanc laudem genitricis domini nunc Aquitania
 Sanctæ Mariæ initio in propriam sedem specialiter
 aduexit, sicut Hildefonsus Episcopus, qui eam uniuersæ
 Ecclesiæ catholice dudum generaliter tradidit,
 quia & si materia defuit laboris æquiparabiliter ta-
 men sacra deuotio retributione mercedis. Mihi autē
 exiguo, atque miserrimo Gomesano concedat Chri-
 stus gloriose genitricis suæ interuentu placatus hic
 emundari à forde facinorum, & post expletum uitæ
 huius cursum cum sanctis omnibus in regno cœlorum
 perfrui gaudio feliciter sine fine mansuro.

Transtulit hunc libellum sanctissimus Gothifcal-
 cus Episcopus ex Hispania in Aquitaniā tēpore hye-
 mis, diebus cœptis Ianuarij mensis, currēte feliciter
 Anno 989. Regnante domino nostro Iesu Christo,
 qui cum Deo patre, & spiritu sancto unus Deus glo-
 riatur in secula seculorum amen. His diebus obiit
 Gallicianensis Rex Raninirus.

De

DE HILDEFONSI
 TOLETANÆ SEDIS
 METROPOLITANI
 Episcopi Vita Ex beato Eladio
 Eiusdem Urbis
 Episcopo



CCE Dapes mellifluæ illius Do-
 mini Hildefonsi quas de paradiso
 Dei rapiens, & per totam hespe-
 riam dispergēs, in ediam nostram
 ingenti satiauit eloquio, non im-
 par meritis sanctissimi illius Do-
 mini Isidori, de cuius fonte adhuc clientulus purissi-
 mos latices bibit. Nam directus à Sancto ac uenera-
 bili papa Eugenio Toletanæ sedis Metropolitano
 Episcopo ad supradictum doctorem Spalensem me-
 tropolitanum Episcopum, cum sibi iam sci olus uide-
 batur, adeo ab eo tentus & eliminatus est, & (ut fe-
 runt) tempore fero constrictus, ut si quid scientiæ
 deerat plenius instructus, ad pedagogum suum Do-
 minum Eugenium remeans, non post multos dies ad-
 huc diaconij officium peragens, in Ecclesia sanctorū
 Cosmæ & Damiani quæ sita est in suburbio Toleta-
 no, Abbas preficeretur. Vbi statim in officio clarens
 duas missas in laudem ipsorum Dominorum, quas in
 festiuitate ipsorum psallerēt, miro modulationis mo-

F do



do perfecit. Quas missas infra annum notatas habemus, Deinde post multum tempus decedente Domino Eugenio in sede sua Episcopus perficitur. Cuius statim uirtus enucleata eluens in sede romulea resulsit, & ueluti facula ardens, omnem Hispaniam perlustrauit. Cuius doctrina usque hodie fulget Ecclesia ut sole luna. Cuius memoria in benedictione odoris et in compositione incensi habetur. Qui ab ipsis cunabulis ab ineunte aetate eunuchus permanens, magnum in se habitaculum Domino praeparauit. Qui non manubrio uel manu, sed Diuino secatus est gladio, nec ingenio ferramentorum resecauit libidinem, sed munere caelesti promeruit sanctitatem. Qui subito dono superno afflatus, his tantis talibusq; praedecessoribus suis aequiter clarens, quod illis clausum fuerat, isti reueratum est. Sic enim habitator suus spiritus sanctus egit, ut quod iste celabat intus, ille patefaceret foris, & utrobique apparatus adiutor fortissimus occurreret ut isti ordinaret quid in laudes uirginum panderet, illis reuelaret aliquid mirum quod in athletam ostenderet, unde fidei eius meritum coram hominibus declararet, & laborantem in agone spirituali de donarijs suis non euacuaret. Sic enim egit ut quod per tot annos populis desiderantibus nec dum ostensum fuerat illis, isti patefaceret primum, & reliquias sanctae ac Deo dicatae uirginis & confessoris suae Leocadiae adueniente in sede regia sua festiuitate omnibus adstantibus praesentaret, & ipso ante se pulchrum

pulchrum eius genibus prostrato, tumulus in quo sanctum eius corpusculum usque hodie humatum est exiliret, & operculo quod uix triginta iuuenes mouere possent, non humanis manibus sed angelicis euato, uelum quod sanctae martyris membra tegebat uiuens foris submitteret, & ueluti manibus hominum extensum conspectui eius uirgo pulcherrima exhibens aduenteret, clamantibus Episcopis, Praesbyteris, Diaconis, Clero, atque omni populo Deo gratias in caelo, Deo gratias in terra, nemine tacente. Ipse uero manibus statim complexans & astringens talia fertur depromere uota Deo gratias, Viuit mea Domina per uitam Hildesonsi, Idipsum repetes Clerus uehementer psallebat alleluia, & canticum quod ipse Dominus Hildesonsus nouiter fecerat speciosa facta es alleluia, & alia quae in ipsa missa quae subter est auotata in laudem eius depromferat. Clamabat inter uoces populi uelut mugiens, ut aliqui incisorium deferrent, unde quod manibus tenebat praecideret, & nemo illi accurrebat quia populus uastis ictibus retibusq; frendebat. Nam & sancta uirgo, quod uoluntate submiserat, uiolenter retrahebat. Sic princeps quodam Recensuindus qui eius tempore erat, gloria & ferocitate terrena deposita, qui eum ob iniquitates suas increpatus, superbo oculo intuebatur cultrum modicum quem in techa tenebat, cum lachrimis offerebat, & collo submisso, supplices manus a trono suo extendens, ut eum illi deferrent instanter deprecatur,



batur, postulans ut indignum non iudicaret se iam cum lacrimis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu leua iam modicum tenebat, dextra præcidi, & cultrum ipsum una cum eisdem reliquijs thecæ argenteis collocauit, indignum iudicās, ut qui sancta præciderat, eum polluta ultra tangeret requirentis manus, qui quantum ualebat, uicario iure sibi illū præcipiebat impendi. His peractis, quia longum est ista omnia enotare, cuncta quæ usui pertinebant sanctæ catholicæ Ecclesiæ in Dei laudibus usquequaque completa sunt. His excusis, alia adhuc miracula spiritus sanctus per eum in ipso Dominico aduentu, non post multos dies peregit. Sed quia omnia longa sunt recensere, quæ eius temporibus in Tolletana urbe Dominus Urbanus & Dominus Euantius per eum facta narrabant, uel ex multis pauca perstringamus, quamuis qui mecum audierunt hoc, cum hæc legerint dolebunt prætermisisse me tam multa et magna, quæ mecum sciunt.

Superueniente uero die sanctæ & semper uirginis Mariæ, ante tres dies, tribus diebus letanias peregit, & missam superscriptam quæ in eius laudem decantaretur perfecit, quæ est septima. At ubi uentum est ad eius sanctam solennitatem, supradictus rex minus de timore Dei sollicitus & de suis iniquitatibus male conscius, ad audienda solènia regali de more accessit. Nam rebus Dei Hildephonsus maiori adhuc munere fretus, dum Domine sue, cui Domine

sua,

sue, cui Deo præsule seruebat, celebritatem ouans susciperet, & in laudem genitricis Dei hoc quod supra notauimus summo cum cordis affectu armoniæ modulatione composita musica aptaret, & libellum uirginitatis more synonymo testimonijs ueteris ac noui testamenti plenum compe ederet, & digna facundia ac magnificentia præfatæ Domine sue exornaret, diacono & subdiacono atque clero ante eum cum faculis præcedentibus, subito hostia aperientes & ecclesiam intuentes atque splendori cœlesti oculos defigentes, lumen quod ferre non ualuerunt, cum tremore effugientes, lampadas quas manibus tenebāt reliquerunt. & sua uestigia per quæ uenerunt aduenientes, prope mortui reuersi sunt ad sodales. Sollicite omnis congregatio requirit quid de Dei seruo ageretur cū angelicis choris, quòd tam subito expauerint custodes, & terga ab hostio ecclesiæ dantes, reuersi sint ad proprias sedes. At ille sibi bene conscius, ante altare sanctæ uirginis procedens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem ubi solitus erat episcopus residere & populum salutare, Quam cathedram nullus Episcopus adire tentauit, nisi postea dominus Sifbertus, qui statim sedem ipsam perdens, exilio relegatus est, & eleuatis oculis aspexit in circuitu eius, & uidit omnem absidam ecclesiæ repletam uirginum turmis, de canticulis David modulata suauitate aliquid decantantibus. Aspiciensq; in eum ut ipse sibi conscijs & bene carissimis referebat, hæc eū

F 3 Allocutio

allocuta est uoce, Propera in occursum meum serue
 Dei rectissime, accipe munusculū de manu mea quod
 de thesauro filij mei tibi attuli. Sic enim tibi opus
 est, ut benedictionem tegminis que tibi danda est, in
 meo tantum die utaris, & quia oculos fidei fixos in
 meo semper seruitio tenens permansisti, & laudem
 meam diffusa in labijs tuis gratia dulciter in cordi-
 bus fidelium depinxisti, & uestimentis ecclesie iam
 in hac uita ornatus eris, & in futuro in promptua-
 rijs meis cum alijs seruis filij mei letaberis. Et hæc
 dicens, ab oculis eius una cum uirginibus & luce
 qua uenerat remeauit. Remansit igitur Dei seruis
 in tantum sollicitus de adipiscenda gloria, in quantū
 præsciens de sibi donata palmæ uictoria, præstante
 Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre &
 sancto spiritu, uiuit & cuncta regit, per infinita sem-
 per secula seculorum amen.

IN

87
 INCIPIT PVBLICA
 THEOPHILI POENITEN-

TIAE SATISFACTIO, QUI
 Christum abnegauit, & ueni am bea-
 ta Mariæ interuentu, adipi-
 sci promeruit.



CONTIGIT priusquam in-
 cursio fieret in Romanam rem-
 publicam execranda Persarum
 gentis, fuisse in una ciuitatum Ci-
 liciorum secunda regione quæ-
 dam uice Dominum sanctæ Dei
 Ecclesie nomine Theophilum, moribus & conuersa-
 tione præcipuum, qui quiete ac omnimoda mode-
 ratione pertinentia Ecclesie & Christi rationabilē
 ouile optime regebat, ita ut Episcopus eius alacri
 sobrietate requiesceret in eo, in omni dispositione Ec-
 clesie ac uniuersæ plebis. Vnde à maiore usq; ad mi-
 norem omnes gratias illi agebant & diligebant eū.
 Nam orphanis, uiduis, atq; egenis, prouidenter com-
 moda ministrabat, Contigit itaq; uocante Deo eius-
 dem ciuitatis Episcopum uitam finire. Statimq; om-
 nis Clerus ac populus affectualiter diligentes cura

F 4 dem

dem uice Dominum & industriam illius cognoscentes, communi consilio decreuerunt eum fieri Episcopum, Et celebrato decreto, mox ad Metropolitanum direxerunt Episcopum, Quo suscepto, uiriq; comperitis uirtutibus annuit affectui petentium, & dirigens præfatum uicem Dominum ut eum in Episcopum moueret ad se adduci præcepit. Qui susceptis metropolitani literis & missis, primum ire distulit, rogans omnes, ne eum compellerent fieri Episcopum, sufficere sibi dicens perm anere ut erat uice Dominum, contestans se indignum tanti honoris officio. Populo autem immitente, ui perductus est ad Metropolitanum Episcopum.

A quo cum gaudio susceptus, pauimento proster nitur, eiusq; pedibus comprehensus, precabatur nihil in se tale actitari, quippe cum peccatorum suorum conscius, indignum se tanto gradu cognosceret. Cumque diu ad pedes Episcopi pauimento hæreret, tractandi secum trium dierum accepit spatium. Post diem autem tertium, uocatum eum ad se commonere cœpit Episcopus, ut uoluntati plebis assensum præberet, dignum eum in hoc esse contestans. Ipse uera nihil tantæ sedis gressum omnimodis clamabat sese indignum. Videns itaq; Episcopus tantam in renitendo eius constantiam, quod scilicet omnino acquiescere nollet, sinit eum, atque alterum in loco eius ad Episcopatus promouit officium. Porro ordinato Episcopo, cum ad propriâ remeassent ciuitatem, quidam

dam de clero instigauerunt Episcopum, ut amoto illo, alium Ecclesiæ ordinaret uice Dominum. Quo facto, suæ tantum domus is qui à priori recesserat officio, agebat curam. Igitur callidus hostis & humani generis inuidus inimicus, eundem uirum modeste degere ac bonis actibus conuersari conspiciens, prauis cogitationibus cor illius pulsare cepit, immittens illi uicedominatus Zelum & ambitionis emulatione, cœuertitq; illum ad huiusmodi consilia, ut ad humanã potius quam ad diuinã hiniaret gloriã, & uanam ac transitoriã magis quam cœlestẽ appeteret dignitatẽ, in tantũ, ut etiam maleficiorũ postulare auxilia. Erat deniq; in eadẽ ciuitate hebræus quidam nefandissimus & diabolicæ artis operator nequissimus, qui iam multos in infidelitatis argumentum & in foueã perditionis immerserat. Ad quem Theophilus iam gloria succensus, cum ingenti ambitionis desiderio ureretur, noctu accessit, eiusque pulsans ianuam, aditum precabatur. Videns igitur eum Deo odibilis ille hebræus, ita contritum uocauit eum intra domum, dixitque ei, Cuius rei causa ad me uenisti? Et ille pedibus eius prouolutus dicebat. Quæso te adiua me, quoniam Episcopus meus ad opprobrium me adduxit, & hæc atque hæc operatur in me. Respondit ei ille execrabilis hebræus, Proxima nocte hora hac ueni ad me, & ducam te ad patronum meum, & subueniet tibi in quo uolueris. Ille autem hæc audiens gratulatus, fecit ita, & sequenti nocte uenit ad eum.

Nefandus uero hebræus duxit illum ad circumcisi-
 tatis & dixit ei, Quodcumque uideris aut quemcun-
 que sonum audieris minime ex eo terrearis, Signum
 quoque crucis nullo modo tibi imponis, Illo autem
 hæc ita respondente, subito ostendit illi albos clami-
 datos cum multitudine candelabrorum aureorum
 clamantes, & in medio principem sedentem, Erat
 enim diabolus et ministri eius. Tenens autem infelix
 ille hebræus manum Theophili, duxit illum ad stagi-
 tiosum illud concilium. Et ait ad eum diabolus, Ut
 quid nobis hunc hominem adduxisti? Respondit. Ab
 Episcopo suo præiudicatum uestrumq; adiutorium
 postulantem Domine mi huc eum adduxi, Dixit au-
 tem ille, Quale adiutorium dabo seruienti Deo suo?
 Tamen si meus famulus esse cupit, & inter nostros
 milites reputari, ego illi subueniam, ita ut plusquam
 prius facere possit, & imperare omnibus, etiam &
 Episcopo, Conuersus hebræus dixit misero Theophi-
 lo, Audiisti quid tibi dixit, Respondit, Audiui, &
 quaecumque dixerit mihi faciam, tantum subueniat
 mihi, & cepit osculari pedes illius principis & ro-
 gare eum, Tunc diabolus ad hebræum. Abneget (inquit)
 filium Marie & ipsam quia odio sunt mihi, firmeta-
 que scripto, se eum eamque abnegare, & post hæc
 quaecumque uoluerit à me impetrabit. Tunc introiit
 in uicam dominum illum Sathanas, & respōdit, Abne-
 go Christum & eius genitricem, faciensque chiro-
 graphum, imposta cera signauit anulo proprio, &
 abscesserunt

abscesserunt utrique cum nimio perditionis gaudio.
 In crastinum autem diuina reor prouidentia motus
 Episcopus, illo cum omni honore reuocato & succe-
 sso uicedomino, turpiter quem ipse promouerat eie-
 cto, priorem constituit uicedominum, præbuitque ei
 coram omni clero & populo auctoritatem dispensa-
 tionis sanctæ Ecclesiæ, atque possessionum ei perti-
 nentium, cunctaq; plebis, ac duplo tantum quam an-
 tea fuerat præpositus denuo honore est sublimatus,
 ita ut peccasse se clamaret Episcopus, quod tam ido-
 neam et perfectam personam aliorum relatibus eie-
 cisset, & promouisset illum inutilem & minus ido-
 neum. Restitutus itaque Theophilus in ministeriū
 pristinum, cepit disponere & eleuare se super om-
 nes, omnibus cum metu & tremore obedientibus sibi
 & ministrare per paruum tempus, Execrabilis ue-
 ro ille hebræus frequenter pergebat occulte ad uice-
 dominum & dicebat ei. Vidiisti quantum beneficium
 & celere remedium ex me & patrono meo in qui-
 bus deprecatus es inuenisti? At ille, cognosco inquit
 & gratias ago concursioni uestræ. Cum autem per
 paruum temporis spatium in huiusmodi iactantia
 abnegationis suæ fouea commoraretur, creator om-
 nium ac redemptor noster deus, qui non uult mortem
 peccatoris sed magis ut conuertatur & uiuat, recor-
 datus priorem eius cōuersationem, & qualiter prius
 fideliter suæ ministrauerat Ecclesiæ, nec non quam
 pius & fidelis ministrando uiduis orphanis & ege-

nis extiterat, non despexit creaturam suam, sed dedit ei conuersionem poenitentiae. Nam in se reuersus, sobrietate recepta, coepit humiliare proprios sensus & affligi in his quae gesserat ieiunijs & orationibus & uigilijs uacans. Multaq; secum conferens, & se fraudatum salute conspiciens, superesse quoq; sibi incendia aeterni cruciatus post animae migrationem à corpore, atque inextinguibilem flammam considerans, haec omnia sibi proponens, timore perterritus, cum gemitu & amoris lacrimis dixit, O miserrimus homo quid feci? quid operatus sum? quo iam pergami cumulatus luxurijs, ut saluam faciam animam meam? Quo fugiam infelix & peccator, qui negaui Christum dominum meum & sanctam eius genitricem, & feci me seruum diaboli, per nefandae cautionis chirographum? Quis putas hominum poterit illam abstrahere de manu uastatoris diaboli? Quae mihi fuit necessitas agnoscere illum nefandum hebraeum? Fuerat enim ante paululum isdem bebraeus legaliter à iudice condemnatus. Quid mihi profuit temporale commodum & superciliositas huius uani seculi. Ve mihi misero peccatori & luxurioso, quomodo supplantatus sum? Ve mihi misero quomodo lucem perdididi & inueni tenebras? Bene ex am sine dispensatione. Quid desiderauim propter uanam gloriam et uacuum opinionem tradere miseram animam meam in gehennam? Quae petam auxilium qui diuino fraudatus sum admitticulo? Ego huius rei no-

xius sum, ego perditionis meae auctor, ego proditor salutis meae existo. Ve mihi, quid faciam? ad quem ibo? Quid respondebo in die iudicij quando nuda et aperta parebunt? Quid dicam in illa hora quando iusti coronabuntur, ego autem condemnabor? Aut cum quali fiducia astabo regali illi tribunali & terribili? Quem postulabo? Quem rogabo in illa tribulatione? Aut quem deprecabor in necessitate illa quando unusquisque propria & non aliena recipiet merita? Quis mihi miserebitur? Quis mihi subueniet? Quis me proteget? Quis patrocinabitur? Vere nullus. Ibi nullus adiuuabit, sed omnes pro se reddent rationem, Ve miserae animae meae, Quomodo captiuata es? Quomodo demorsita es? Quomodo alienata & labefacta es? Quali corruisti ruina? Quali dimersa es naufragio? Quali caeno conuoluta es? Ad qualem iam confugies portum? Ad quod concurrens remedium? Ve mihi misero qui supplantatus & in baratro demersus surgere nequeo. Cumque diu intra se concionaretur cum anima sua haec et multa alia, pius & misericors Deus qui propria non despicit creaturam, sed ad se suppliciter conuertentem suscipit, suae recuperationis spe cum recreauit. Qua inspiratus cum lacrimis ait, licet sciam Christum Dei filium natum de sancta & immaculata semper uirgine Maria, quam instigante & suadente matris ligno hebraeo infelix infeliciter negaui, tamen ibo ad eandem matrem Domini sanctam gloriosam & lu-

eadē & ipsam solam interpellabo ex toto corde &
 anima mea, faciamq; sine intermissione orationes &
 ieiunia in eius uenerabili templo, donec per eius san-
 ctam intercessionem misericordiam Domini inueni-
 re ualeam. Et iterum aiebat, Sed qualibus labijs eius
 benignitatem deprecari præsumā, ignoro. Scio enim
 quia grauer in eam deliqui Quale ergo confessio-
 nis meæ exordium faciam, quali conscientia confitēs
 impiam linguam & polluta labia mouere tentabo?
 Vel super quibus peccatis primum remissionem ex-
 petam? Miser ego, & si temerarius hoc agere præ-
 sumpsero, ignis de cælo descendens cōburet me, quia
 iam nō fert mundus mala quæ miserrimus gessi. Væ
 misera anima surge de tenebris quæ te comprehen-
 dere, & prociens interpella genitricem Domini no-
 stri Iesu Christi, quia uere potens est huic reatui im-
 ponere remedium. Et hæc secum cogitans, fortiterq;
 animatus, relictis laboriosis huius seculi offendiculis,
 cum omni humilitatis deuotione prociens corā san-
 cto & uenerabili templo immaculatæ & gloriose
 semper uirginis Mariæ, petitiones ac postulationes
 die noctuq; incessabiliter offerens, ieiunijs & uigilijs
 peruacauit, rogans ut à tali noxa receptus re dime-
 retur, atque à pernitoso supplantatore, & à mali-
 gno dracone, & ab illa quam gesserat abnegatione ea-
 riperetur Perstititq; quadraginta dies cum nocti-
 bus ieiunijs & orationibus deprecando protectricē
 nostram matrem domini Saluatoris. Post expletio-
 nem

nem uero quadraginta dierum medio noctis appa-
 ruit ei manifeste uniuersale auxilium, & præpara-
 ta protectio ad eam uigilantium, Christianorū quo-
 que refugium ad se concurrentium, errantium uia, et
 redemptio captiuorum, in tenebris lumen uerissimū,
 afflictorum confugium, & consolatio in tribulatio-
 ne positorum, Domina nostra & uera mater Chri-
 sti, dicens ei, Quid sic ò homo permanes temere, quæ
 non mereris postulans ut te adiuuem hominem qui
 abnegasti filium meum Saluatorem mundi & me? &
 quomodo possum postulare eum remittere tibi mala
 quæ gessi? Quibus oculis respiciam in uultum il-
 lum misericordissimum filij mei quæ tu negasti præ-
 sumens eum rogare pro te? Quali fiducia pro te po-
 stulabo eum cum tu apostataueris ab eo? Quo ue-
 modo astabo tribunali illi terribili & præsumā ape-
 rire os meum & petere pro te clementissimam illius
 bonitatem? Non enim patior uidere filium meum de-
 rogari iniurijs. Esto, ò homo ea quæ in me peregisti
 peccata possunt aliquem habere indultum, eo quod
 multum genus diligam Christianorum, maximeque
 eos qui recta fide et pura cōscientia currunt ad tem-
 plum meum.

His modis omnibus annuo & succurro & ulnis
 meis foueo & uisceribus circumplector. Filij autem
 mei exacerbationem nec audire patior nec uidere.
 Quapropter multo certamine & labore cordisque
 contritione necesse est ut eius implores pietatē, qua-
 tenuis

tenus eius impetrare ualeas benignitatem . quia non solum misericors sed etiam iudex cognoscitur existeri iustus . Ad hæc Theophilus respondit. Etiam Domina mi semper benedicta etiam Domina que proteatrix es generis humani, etiã Domina que es portus & sinus ad te confugientium, Scio Domina, scio quia ualde peccavi in te, & in unicum filium tuum Dominum nostrum, & non sum dignus misericordiam impetrare, sed habens exemplum ab his qui ante peccauerunt in filium tuum Dominum nostrum, & meruerunt per pœnitentiam indulgentiam peccatorũ que commiserunt, ideo ad eum & ad te Domina accedere presumo . Nisi enim fuisset pœnitentia quomodo Niniuite salui fuissent ? Nisi pœnitentia esset Raab meretrix non saluaretur . Nisi esset pœnitentia quomodo Dauid post prophetiæ donum post regnum et dominicum testimonium in baratrum fornicationis & homicidij cadens pœnitentiam uerbo ostendens non solum indulgentiam tantorum meruit peccatorum, sed etiam donum prophetiæ denuo accipere ? Nisi esset pœnitentia quomodo beatus Petrus apostolorum princeps, discipulorum primus, columna Ecclesiæ, qui clauis regni cœlorum à Deo suscepit Christum Dominum non semel aut bis sed etiam ter Dominum negauit ueniam acciperet ? Nam amare lugendo et lacrimas fundendo indulgentiam tanti delicti promeruit, et superiorem adeptus honorem, pastor dominici constitutus est ouilis. Si non esset pœnitentia

tentia quomodo Paulus apostolus ex persecutore uas electionis efficeretur? Si non esset pœnitentia quomodo eum qui apud corinthios fornicatus fuerat suscipere Paulus iussisset ne calumniaretur à Sathana? Si non esset pœnitentia quomodo ille Ciprianus qui multa perpetrauerat mala qui etiam feminas in utero habentes incidebat & totus flagitijs inquebatur uehementius à sancta Iustina confortatus ad remedium conuolasset ? Qui non solum tantorum malorum remissionem accepit sed & martyrij coronam adeptus est. Vnde & ego peccator tantorum confidens inditio, accedens postulo benignam misericordiam tuam, ut dexteram mihi protectionis impendere & indulgentiam peccatorum impetrare digneris apud Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, in quẽ ego miser grauius peccavi. Hec denique illo profutente sancta & uenerabilis Domina nostra Dei genitrix anima & corpore benedicta que singulare apud eum quem genuit impetrandi optinet libertatem. Quæ etiam esse cognoscitur in tribulatione positorum consolatio, afflictorum compassio, nudorum uestimentum, senectutis baculum, ualida ad eam protectio concurrentium, que sanctis ac pijs uisceribus cunctos fouet Christianos, dicit ei, Confitere ò homo quia quem ego peperì filiũ & tu abnegasti est Christus filius Dei uiui qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos, et ego ipsum rogabo pro te ut te dignetur suscipere. At Theophilus respondit, Et quomodo




Miraculum

presumam domina mihi semper benedicta ego in-
felix & indignus sordidum & pollutum os habens
quo filium tuum & dominum nostrum abnegavi eū
inquam cœniteri? Qui non solum supplantatus sum
uani desiderijs seculi huius sed & animæ meæ quod
habebam remedium uenerandam dico crucem et san-
ctum baptismum quod accepi pollui peramarissimæ
abnegationis conscriptum chirographum. Dicit ei
sancta & immaculata Dei genitrix uirgo Maria,
Tu tantum accede & cœnitere illum misericors enim
est & suscipiet lacrimas pœnitentiæ tuæ & eorum
qui puriter ac sinceriter accedunt ad eum. Propte-
rea enim Deus existens carnem ex me accipere di-
gnatus est non infamata Deitatis eius substantia ub
peccatores saluaret. Tunc Theophilus cum reueren-
tiæ & omni humilitate submisso uultu cū magno ulu-
latu protestatus est dicens, Credo adoro & glorifico
unum in sancta Trinitate Dominum nostrum Iesum
Christum filium Dei uiui ante secula à patre ineffa-
biliter natum, nouissimis autem diebus hominem fie-
ri dignatum, de spiritu sancto conceptum, & ex te
sancta & immaculata uirgine Maria natum ad sa-
lutem humani generis proecessisse, ipsumque confiteor
perfectum esse Deū perfectumq; hominem, qui pro-
pter nos peccatores pati dignatus est & conspui &
alapis cedi & super uiuificum lignum manus exten-
dit sicut pastor bonus ponens animam pro peccato-
ribus, sepultusq; est & resurrexit et ascendit in cœ-
lum

Virginis Mariae.

9

lum cum carne quam ex te castissima suscipit, uentur-
usque est cum sancta gloria sua iudicare uiuos &
mortuos & reddere unicuiq; secundum opera sua nō
accusatore egentem sed ex ipsis commissis operibus
conscientia accusante nos aut excusante atque quale
unius cuiusq; opus sit igne examinante: Hunc corde
& ore confiteor hunc colo, adoro, & amplector, &
cum hæc precatória cautione toto mentis adnisi hæ-
bita, offer me sancta & immaculata uirgo Dei geni-
trix filio tuo Domino nostro & nō abhomineris ne-
que despicias deprecationem meam qui raptus sup-
plantatus & deceptus sum, libera me ab iniquitati-
bus quæ me comprehenderunt & à procella turbi-
nis quæ me possidet, qui infeliciter gratia spiritus
sancti sum denudatus. Et cum hæc dixisset tanquam
aliquam satisfactionem ab eo suscipiens sancta Dei
genitrix spes & consulatio Christianorum redem-
ptio errantium & uera uia consurgentium ad eam
fons fluctuantium refrigerium pauperum consolatio
pusillanimatorum mediatrix hominum ad Deum, dicit
ei, Ecce ego propter baptismum quem accepisti per
filium meum Iesum Christum & Dominum nostrum
& propter nimiam compassionem quam circa uos
Christianos habeo, tuis credens uerbis accedam &
rogabo illum pro te eius pronoluta pedibus, quate-
nus te suscipere dignetur. Et cum hæc uisio appa-
ruisset & dies illuxisset abscessit ab eo sancta & im-
maculata Dei genitrix uirgo. Theophilus uero tri-



100
 duo enixius Dominum postulans terramq; crebrius
 percussus capite in eodem uenerabili templo sine
 cibo permanens lacrimisq; locum infundens non re-
 cedeat perspicuus ad clarum lumen, & ineffabilem
 uultum gloriose Domine nostrae dei genitricis Ma-
 rie praestolans ab ea suae salutis remedium. Rursum
 itaque uera profectio, & pia consolatio ad se confu-
 gentium, clarifera nebula quae nutrita est in sancta
 sanctorum, apparuit ei hilari uultu, & letis oculis ac
 mansueta uoce dixit ei, Homo dei sufficiens est poeni-
 tentia tua quam ostendisti saluatori omnium, & crea-
 tori Deo, Ecce enim ad petitiones meas suscepit la-
 crimas tuas, & precibus tuis annuit. Si tamen haec
 usque ad diem obitus tui obseruaueris quae filio meo
 me teste ex corde promisti. At ille respondit, Etiam
 Domina mi obseruabo, & non praeteribo quia tu es
 post Deum protectio mea meumq; patrocinium, &
 in tuo adiutorio confidens non omittam quae promit-
 tens confessus sum. Scio enim, scio quia tu es maxima
 protectio hominum, Quis enim domina mi immacu-
 lata uirgo sperauit in te, & confusus est? Aut quis
 hominum precatus est clementiam tuam, & dereli-
 ctus est? Vnde & ego peccator, et impius rogo per-
 henen fontem benignitatis tuae uiscera misericordiae
 tuae mihi impendi, erroneo, & decepto qui in profun-
 dum ceni demersus sum, & ut recipere ualeam illam
 execrabilem abnegationem abnegationis meae cartu-
 lam atque nefandam cautionem signatam ab illo qui

me

me decepit diabolo. Nam hoc est quod supra modum
 titillat miseram animam meam. Iterum ergo ualde
 lugens nimiumq; destens isdem Theophilus per tres
 continuos dies eandem unicam spem hominum, & sa-
 lutem animarum nostrarum sanctam scilicet, & im-
 maculatam uirginem Mariam ut illam pestiferam
 recipere mereretur cartulam, postulabat. Igitur
 post triduum ipsa sanctissima uirgo ei iterum in ui-
 sione apparuit, & eandem cautionis cartulam haben-
 tem sicut data fuerat de cera sigillum exhibuit eiusq;
 pectori dormientis super posuit: Quam ille a somno
 surgens cum inuenisset latus effectus contremuit ita
 ut poene etiam omnium membrorum eius resoluere-
 tur iuncturae. In crastino uero cum esset dominica
 dies pergens ad Ecclesiam in qua Episcopus cum po-
 pulo aderat post lectionem sancti Euangelij Episcopi
 se pedibus prostravit ei; omnem impietatis suae hysto-
 riam retexit scilicet qualiter a pernicioso ac malefico
 hebr. eo. deceptus fuerat suamque elationem atque ne-
 gationem nec non chirographicam diabolo factam
 conscriptionem propter recuperadam inanem huius
 seculi gloriam. Post haec etiam qualiter ad benignis-
 simum fontem misericordiae ad intemeratam uideli-
 cet sanctissimamque uirginem Mariam confugiens
 eius sanctis meritis, & precibus per poenitentiam, et
 lacrimas a deo meruit ueniam nec non qualiter chi-
 rographum pessime conscriptionis receperit ei per
 ordinem coram omni conuentu Ecclesia patefecit.

G 3 ipsumq;

riam deo nostro qui sic misericorditer exaudiuit pœnitentiam fugientis ad se per interuentionem sanctæ & immaculatæ semper uirginis Mariæ quæ est in ter deum, & hominem fons uerissimus quæ est spes desperantium refugium afflictorum. Quæ maledictionem humanæ naturæ compescuit, quæ est uerianua quam omnes peccatores pulsamus & aperit, & apud eum quem genuit. Dominum nostrum petitiones nostras offert, & impetrat peccatorum nostrorum, indulgentiam. Recordare ergo & nostri sancta Dei genetrix qui ad te uigilamus pura fide, & confugimus. Et non derelinquas pauperum oiuile, sed deprecare pro eo apud misericordem Deum ut incolume & sine calumnia illud conseruare dignentur. In te enim speramus omnes Christiani ad te confugimus ad te oculos nostros die noctuq; leuamus. Te enim & eum qui ex te carnem suscepit Dominum nostrum Iesum Christum salutamus et glorificamus. Et quid iam loquar aut dicam & qualem laudē aut gloriam ei qui ex te natus est offeramus? Certe magnificata sunt opera tua Domine & deficit lingua ad gloriam mirabilium tuorum enarrandam. Vere magnificata sunt opera tua Domine Certe congruit huic nunc euangelium dictum. Afferte stolam primam & induite illum & date annulum in manu eius & calciamenta in pedibus eius, Et adducite uitulum saginatum & occidite & edentes letemur quia hic frater noster mortuus fuerat & reuixit, perierat et

Miraculum

ipsūq; chirographum signatum obsecrans ut corā omnibus legeretur Episcopo porrexit. Omnes itaq; clerici seu mulieres tanta dei miseratione permoti diuissimas domino gratias retulerunt, qui tāta pietate licet à se auersos ad se tamen confugientes recipere dignatur. Episcopus quoque gaudio repletus damnabat. Venite omnes fideles glorificemur simul pietatem domini nostri Iesu Christi. Venite omnes uidete stupenda miracula. Venite Christo dilecti considerate eum qui nō uult peccatoris mortem sed conuersionem desiderat. Venite et uidete patres mei efficaciam pœnitentiæ. Venite uidete lacrimas abluentes peccata. Venite carissimi uidete lacrimas delentes uulnera iniquarum actionum & candidiorem nitue animam demonstrantes. Venite uidete lacrimas portantes ad deum animas. Venite uidete lacrimas remissionem peccatorum impetrantes. Venite Christiani omnes considerate lacrimas iram dei remouentes. Venite conspiciate quantum ualet gemitus animæ & cordis contritio. Quis non miretur fratres mi ineffabilem patientiā Dei? Quis non stupeat inenarrabilem charitatem dei erga nos peccatores? Quadraginta diebus legis lator Moyses ieiunians à deo conscriptas tabulas suscepit, et hic frater noster quadraginta diebus permanens in uenerabili templo immaculatæ, et gloriose semper uirginis Mariæ priorē gratiam quam negando perdidit ieiunando à deo recepit. Demus igitur, & nos simul cum illo gloriam

inuentus est. Interea cum haec ab Episcopo dicerentur semper Theophilus solo iacebat prostratus. Quē post susam hanc orationis laudem Episcopus surge-
re iussit, & ut illam nefandissimam & execrabilissimam cartulam in conspectu omnium comburere precepit. Quod ille sine mora compleuit. Populi autem uidentes execrabilem, chirographum & abnegatricem cautionem igni combustam, ceperunt cum multa profusione lacrimarum diutissime clamare. Kyrieleyson. Et annuens manu episcopus ut tacerent ait, Pax uobis & missarum ingressa peregit. Post expletionem autem sacrorum mysteriorum percepto Theophilus sacrae communionis mysterio, statim effulsit facies eius sicut sol, Quod uidentes omnes stibitaneam scilicet uiri transfigurationem magis glorificabant Deum qui facit mirabilia magna solus & occurrentes uenerabili templo Dei genitricis quae eum liberauit ab execrabili illo erroneo indeficientes Domino Christo & beatissime uirgini Mariae diutissime retulere laudes. Beatus uero Theophilus in eum locum quo illam beatam uiderat uisionem declinans, tanquam fixus perstitit in eo per triduum post triduum autem omnibus fratribus ualedicens osculum tribuens omniāq; sua prius egenis pauperibusq; optime distribuens animam quoq; suam sanctae trinitati & beatissime Mariae liberatrici commendans ultimum huius uitae diem in ipso quo uiderat uisionem loco feliciter compleuit, beatoq; sine ad

ternam

ternam gloriam praestante Domino transmigravit, Corpus quoq; eius in eodem loco sepultum diem resuscitandum praestolatur ultimam Venienti quoq; Domino nostro Iesu Christo uiuos ac mortuos iudicatu-
ro occisurum, cui cum patre & spiritu sancto sit nunc & semper gloria & per infinita secula seculorum Amen.

ITEM MIRACVLVM

SANCTAE DEI GENITRICIS

Mariae quod in Ecclesia eiusdem in puero Hebraeo gestum est.



D laudem omnipotentis Domini & corroborandam catholicam seriem fidei quid in oriente actum fuerit palam fidelibus narrandum est. Iudaeus cuiusdam uirarij filius cum apud Christianos pueros ad studia literarum exerceretur quadam die dum missarum solennia in Ecclesia beatae Dei genitricis semperq; uirginis Mariae celebrarentur ad gloriosissimam dominici corporis & sanguinis participationem cum alijs pueris infans hebraeus accessit, Post preciosam igitur dominici corporis & sanguinis perceptionem idem exultans ad patris domum reuertitur puer, Dum enim caro blandiretur affectu interparentum

rentium amplexus & oscula queq; ei acciderant cum gaudio narrat. At perfidus genitor & proprie salutis inimicus si cum his inquit infantibus communicasti oblitus paternæ pietates, ad ulciscendam uero mo-
saicæ legis iniuriam paricida in te durus existam.

Dehinc furibundus apprehensum puerum ilico fornacis ualide ardentis in ignem proiecit, nihilominus igni pabula adiiciens quo uehementius exureretur insistsens. Sed tam præclaro non defuit miraculo illa omnipotentis Dei misericordia quæ tres pueros chaldauo in camino proiectos nube rorulenta respexerat, Ipsa enim & hunc inter ignes medios prunarumque moles proiectum prorsus consumi non patitur. Interea genitrix eius audiens quod scilicet crudelissimus pater communem filium igni exurere delibasset gemebunda ad liberandum eum otius occurrit, sed cum uidisset incendium ab ore fornacis patulo huc siue illuc flamma dominante respergi ornatum capitis protinus ad terram proiecit diffusaq; Casarie se miseram anxie clamitans ciuitatem uocibus impleuit. Quod cum Christiani quid actum fuerat agnouissent, perrexerunt quantotius ad tam iniquum spectaculum accedentesque propius inuenerunt puerum omnimode ab igne illesum. Qui puer ab igne eodem continuo uirtute omnipotentis Domini in tactus egrediens cunctorum in oculis admirationis præcipue fuit. Postmodum quoque ultor æquitatis spiritus fidelem populum flamma sui amoris accendit

ait ut illius sceleris auctorem ad comprobendam catholicæ assertionis fidem in eiusdem fornacis proiecerent flammæ, Deliberatione uero cunctorum in fornacis ardentis proiectus est flamma, sed ita illum totum ignis absorbit, ut uix de eius osibus paruum quodam modo relinqueretur iudicium. Denique percunctantur fideles eundem puerulum quod ei uel quale inter ignem fuisset umbraculum. Mulier (inquit) illa quæ in Ecclesia ubi panis participationem sumpsit in cathedra residens paruum in sinu gestat infantem, Hæc me sui capitis uelamine ne ignis uoraret operuit, Vnde indubitanter credendum est beatam Dei genitricem Mariam ex huius uisionis professione ne ibidem apparuisse atque hunc ab ignis ardore incolumen reddidisse. Post tantiquoque à Deo collati beneficii gratiam hebræus puer catholicæ religionis fidem tenens genitoris uero nequam relicto errore credidit in nomine patris, & filij & spiritus sancti simulque cum sua genitrice aquis salutaribus abluti fidelium numero sunt participes effecti. Multi autem iudeorum hoc sequentes exemplum in illa urbe saluati sunt per Iesum Christum Dominum nostrum, cui est honor & gloria in secula seculorum Amen.

VITA BEATISSIMAE MARIAE
 Virginis a Beato Ambrosio Episcopo edita
 Ex libro de Virginibus.



IT igitur uobis tanquam in ima-
 gine descripta uirginitas uita
 Mariae est qua uelut est speculo spe-
 cies resulget castitatis et forma
 uirtutis. Hinc sumatis licet exem-
 pla uiuendi ubi tanquam in exem-
 plari magisteria sunt expressa probitatis, quae quid
 corrigere quid effugere, quid tenere de beatis osten-
 ditur. Primus discendi ardor nobilitas est magistri.
 Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea
 quam splendor elegit? Quid castius ea quae corpus
 sine corporis contagione generauit. Nam de ceteris
 eius uirtutibus quid loquar? Virgo erat non solum
 corpore sed etiam mente quae nullo doli ambitu since-
 rum adulterarat affectum, corde humilis, uerbis gra-
 uis, animi prudens, loquendi parcior, legendi stu-
 diosior. Non in incerto diuitiarum sed in prece pau-
 peris spem reponens. Intenta operi, uerecundia ser-
 moni, arbitrium mentis solita non hominem sed Deum
 querere. Non ledere reos, bene uelle omnibus, assur-
 gere maioribus natu, aequalibus non inuidere, fugere
 iactantiam, rationem sequi, amore uirtutem. Quan-
 do ista uel uultu laesit parentes? quando discessit à
 propinquis? quando fastidiuit humilem? quando ri-
 sit

sit debilem? quando uitauit inopem? Eos solos solita
 catus uirorum inuifere quos misericordia non crua-
 besceret, nec praeteriret uerecundia. Nihil toruum in
 oculis, nihil in uerbis procaz, nihil in actu inuerecun-
 dum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non
 uox petulãtior, ut ipsa species corporis simulacrum
 fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus
 in ipso uestibulo debet agnosci, ac primo praetendat
 ingressu nihil intus latere tenebrarum ut mens no-
 stra nullis repagulis corporalibus impedita tanquã
 lucernae lux intus posita foris luceat. Quid igitur
 exequar ciborum parsimoniam, officiorum redun-
 dantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum
 pene ipsi naturae defuisse? Illic nulla intermissa tem-
 pora hic congemnatur iciunio dies. Et si quando re-
 fitiendi successisset uoluntas, cibus plerumque obuius
 qui mortem arceret, non qui delicias ministraret.
 Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit.
 Et tamen cum quiesceret corpus, uigilaret animus,
 qui frequenter in somnis aut lecta repetit aut somno
 interrupta continuat, aut disposita gerit, aut geren-
 da praenuntiat. Prodire domo nescia nisi cum ad Ec-
 clesiam conueniret. Et hoc ipsum cum parentibus
 aut propinquis Domestico operiosa secreto, forensi
 stipata comitatu. Nullo tamen meliore sui custode
 quam se ipsa, quae incessu affectuque uenerabilis non
 tam uestigium pedis tolleret quam graduum mentis
 attolleret, et tamen alios habent uirgo membrorum
 suorum

suorum custodes, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat si ipsa se doceat, quæ uirtutes magistras habet, quia quicquid egerit disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus quasi à pluribus moneretur. Sic implebat omnia uirtutis officia ut non tam disceret quam doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus repperit, talem spiritus sanctus elegit. Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetrabilibus sine comite nequis obstreperet, ne quis intentionem obrueret. Neque enim feminas comites desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tunc sibi minus sola uidebatur cum sola esset. Nam quemadmodum sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetae, denique & Gabriel, ubi eam reuisere solebat, inuenit & Angelum Maria quasi uirum se se mota trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Denique salutata obmutuit, appellata respondit, & quæ primo turbauit aspectum, postea promisit obsequium. Quam uero religiosa in propinquis fuerit scriptura diuina significat, Nam & humilior facta est postquam à Deo se cognouit electam & statim ad cognatam suam in montana processit, non utique ut exemplo crederet quæ crediderat oraculo, Beata enim inquit quæ credidisti, Et tribus cum ea mensibus mansit, Tanti autem interuallo temporis non fides queritur sed pietas exhibetur. Et hic postea quam in utero parentis exiliens puer matrem

rem Domini salutauit, prius compos deuotionis quam naturæ. Unde tot sequentibus signis cum sterilis pareret, uirgo conciperet, loqueretur mutus adoraret magus sydera nuntiarent, Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum, conseruabat inquit omnia uerba hæc in corde suo. Quamuis mater Domini discere tamen præcepta Domini desiderabat, et quæ Deum genuerat Deum tamen scire cupiebat. Quid quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalém sollemni die paschæ, & ibat cum Ioseph. Vbiq; in uirgine omnes singularum uirtutum est pudor, hic indiuiduus debet esse uirginitati sine quo non potest esse uirginitas. Hæc est imago uirginitatis. Talis enim Maria fuit ut eius unius uita omnium disciplina sit. Si igitur non displicet auctor opus probemus, & quæcunque sibi eius exoptat præmium, immitetur exemplum. Quanta in una uirgine species uirtutum emicant? Secretum uerecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium? Virgo intra domum comes ad ministerium, Mater ad templum. O quantis uirginibus illa occurret quantos complexa ad Deum trahet dicens, Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore, quemadmodum eas ipse Dominus commendabit patri nimirum illud repetens suum, Pater sancte istæ sunt quas custodiui tibi in quibus filius hominis caput reclinans quieuit. Volo ut ubi ego sum et ipse sint mecum. Sed non solum sibi debent posse quæ non solum sibi uixerunt. Hæc parentes

renes redimat, hæc fratres, Pater iuste mundus me non cognouit istæ autem me cognouerunt, & mundum cognoscere noluerunt. Quæ pompa illa quanta Angelorum letitia plaudentium, quod mereatur habitare in cælo, quæ cælestem uitam duxit in seculo.

Tunc etiam Maria tympanum sumens choros uirginales citauit cantantes & psallentes Domino quod per mare seculi sine secularibus tumultibus transierunt. Tunc una quæq; exultabit dicens, Introibo ad altare Dei ad Deum qui letificat iuuentutem meam. Immolo Deo sacrificium laudis, reddo altissimo uota mea. Neq; enim dubitauerim uobis patere altaria quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christi immolatur. Nam si corpus uirginis templum Dei est, animus quid est, qui tanq; membrorum cineribus excitis sacerdotis æterni ad opertum manu uaporum diuini ignis exalat? Beatæ igitur uirgines quæ tam immortalis spiratis gratia ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdote. Ergo sancta Maria disciplinam uitæ informet. Amen.

Explicit Vita sanctæ Mariæ.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





